UPSALA UNIVERSITETS ÅRSSKRIFT 1881.
FILOSOFI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORISKA VETENSKAPER. IV.

EPILEGOMENA

AD T. LIVII LIBRUM PRIMUM.

SCRIPSIT

ANDREAS FRIGELL.

UPSALA
AKADEMISKA BOKHANDELN.
(C. J. LUNDSTRÖM.)

EPILEGOMENA

AD T. LIVII LIBRUM PRIMUM.

SCRIPSIT

ANDREAS FRIGELL.

Upsala Universitets Årsskrift 1881.
Filosofi, Språkvetenskap och Historiska vetenskaper. IV.

UPSALIÆ MDCCCLXXXI.
TYPIS DESCRIPSIT JESAIAS EDQUIST.

Epilegomena ad T. Livii librum primum.

Scripsit

Andreas Frigell.

Ante tres annos in his annalibus Collationem codicum Livianorum libros I.—III. continentem adiectis aliquot commentationibus divulgavi; deinceps inprimis in usum scholarum libros Livii I. XXI. XXII. recensui et scholiis suecanis instruxi, ac simul libellum de T. Livio historiarum scriptore (Livius som historieskrifvare) foras dedi, quos libros typographi regii Stoccolmenses honestissimi P. A. Norstedt et Filii suis sumptibus sollerter descripserunt. Criticam vero rationem, quam neque in scholiis illis neque in commentationibus nisi aliqua ex parte quam parcissime exercere licebat, epilegomenis singulorum librorum reservavi. Quam censuram in tanta copia ac diversitate librorum per totam primam decadem ut decet agere immensi fere est laboris, quamobrem tutissimum visum est singulos libros singillatim tractare summaque cautela pedetentim emendationes, quotiens necesse erit, conari, quae tolerabilia aut minoris momenti sunt, in praesens tolerare, quae ex codicibus data explicationem recipiunt, non violare. Itaque, quos iam edidi libros, tales potissimum revocavi, quales exhibent doctores nostra aetate maxime insignes summaque auctoritate praediti, Madvig et Weissenborn (lib. I. ed. 7. curavit H. I. Mueller), a quibus, praesertim inter se consentientibus, longius discedere tum demum fas esse putavi, cum dissensionis rationem satis probavissem.

Si inter se comparantur codices, qui primos Livii libros continent, et ante omnia necesse est, et longe difficillima est res, principatus Medicei quatenus pateat, ex re et veritate constituere. Dum latent aut parum noti sunt ii, quorum antiquis quibusdam editoribus

copia erat, M ille iam a Gronovio optimus omnium partis huius praedicabatur, nec praeterea ullum omnino excellentem is noverat. Haud aliter Drakenborch, qui post hunc codicem (Florentinum appellant) ac Leidensem primum fragmentum Havercampianum (in quo libri I. et II. paucae partes superfuerunt) bonitate reliquis huius decadis praestare existimabat. Eundem M verissimo iudicio Gronovium in principe loco omnium huius partis codicum posuisse testatur etiam Alschefski, qui cum alias illius libri virtutes laudat tum elegantiorem verborum collocandorum ordinem. Weissenborn in praefatione editionis Teubnerianae 1850 sic iudicabat: »Mediceus et Parisinus multo plus adferunt ad genuina Livii verba restituenda quam ingens variarum lectionum farrago e recentioribus cdd. collecta; quamquam negari non potest ne in his quidem verae scripturae deesse vestigia». Quam aequi iudicii fuerit ac liber opinione praeiudicata, etiam ex iis apparet, quae post viginti quinque annos lecta dissertatione mea, quae inscribitur Livianorum librorum primae decadis emendandae ratio, ad me scribere dignatus est vir venerabilis: »Maxime probandum esse existimo, quod non ex uno alterove libro, aut, quae olim Rhenani, nuper Alschefskii sententia erat, ex duobus, quid Livius scripserit, cognosci et restitui posse censes, sed omnes in subsidium vocandos et eo, quod bonae frugis suppeditant, utendum esse statuisti; et quod accuratius, quam antea factum est et fieri poterat, stirpes et familias codicum separasti». Hoc autem Hertz asseverare audet: »In prima decade recensenda Mediceus liber solus pro fundamento habendus est, a quo secundum rectum Mauricii Hauptii iudicium, mus. phil. I, 474 prolatum, nisi necessitate cogente numquam recedendum est». Madvig denique, postquam cdd. sibi notos enumeravit, Hos cdd., inquit, »sic secuti sumus, ut in dissensu eorum, maxime quidem Medicei et Parisiensis, praeter auctoritatem sententiarum orationisque et usus loquendi momenta ponderaremus et librariorum errandi consuetudinem opportunitatesque consideraremus, in iis autem, quae nullam aut prope nullam huiusmodi haberent probandi aut improbandi notam, Mediceo potissimum pareremus (velut in verborum ordine, tum in huiusmodi scripturis, quale est 1, 6, 1 scelus pro scelera)».

Amisso codice Vormaciensi, cuius opera Rhenani, non quidem quae sufficiat, at aliquam habemus notitiam, cum quasi viduus superstes sit Mediceus, idemque ita comparatus, ut tum de ipsa scriptura tum de praestantia eius nonnumquam dubitari possit, nec ulla spes supersit pari aetate huic similem inveniendi, quicumque ad illum proxime accedunt recentiores cdd., diligenter perquirendi sunt. Itaque

percommode cecidit, quod doctissimus vir Otho Riemann, professor Nanceianus, qui ante sex annos in Italia complures cdd. Livianos aliquatenus contulit aut inspexit, Florentiae duos saltem saeculo XV. scriptos invenit ex eodem genere, cuius sunt B et ed. 2. Etiam MRN et B denuo ex parte legit ac nonnulla a me praetermissa esse monuit. Separaveram autem, non neglexeram minores ac vulgares res ortographicas, quas coniunctim uno conspectu exhibiturus fui, quia quae ad eas pertinent quaestiones nisi magna undique congesta copia exemplorum enodari nequeunt. De verbis vere praetermissis aut aliter lectis infra loquar. Collationes illas, »Suppléments au mémoire de M. Frigell Collatio codicum Livianorum», in annalibus Parisiensibus Revue de Philologie, de littérature et d'histoire anciennes (IV. 7 et 10) publicare coepit et, qua est humanitate, duas partiunculas mihi misit, quae desinunt initio cap. 29 libri I. Duo autem illos Florentinos Mediceo cognatos, ubi referre opus erit, ipsius usus notis signabo *Laur. 3.*, qui est in bibliotheca Laurentiana plut. 63 n:o 4, et *Magl.*, qui est in bibliotheca Magliabecchiana n:o XXIII, 19. Ceteri recentiores magis mixti sunt, duo Florentini (bibl. Laur. plut. 63 n:o 16, saec. XIV, et n:o 2, saec. XV), unus Veronensis (bibl. capituli cathedralis saec. XV) et unus Vaticanus (n:o 1845 saec. XV, qui cisalpinis vulgaribus est annumerandus).

Ubi M nihil dubii relinquit, non opus est adminiculis istis, quae pleraque Florentiae sunt; sed fit interdum, ut scriptiones eius in dubio ponendae sint, ac tota res vertatur in primaria scriptura Medicei exploranda veritateque eius iudicanda; tum vero, ut id certius fiat, circumspicienda sunt testimonia librorum inferiorem locum obtinentium, qui tamen communi origine ceteris sunt praestabiliores; verum ad hunc ipsum usum non pauca etiamnunc desiderantur. Nam quo tempore ego Romae cod. Barberinianum et ed. 2. passim conferebam, M nondum videram, neque Riemanno iis libris legendis vacanti collationes meae notae fuerunt, quo fit, ut, quibus locis res decernenda ad M potissimum reiicitur, haud raro frustra quaeramus, qui huic proximi sunt utrum adsentiant an refragentur, quamdiu nondum ratione ac via hi sunt examinati.

Adumbrationem descriptionis codicum in classes iam dedi in prolegomenis p. 6 sqq., neque (quod inutile est monitu) ex Alpium tractu prius iudicando, sed ipsis libris conferendis inveni primum cisalpinos et transalpinos esse distinguendos, deinde ex illis vulgares et unicos sive rariores, vel ex sedibus singulorum praecipuis dicam familiam Vaticano-Romanam et Mediceo—Florentinam. Alii enim in Italia, alii in Gallia et Germania aetate media viguerunt arbitri

scripturae atque interpretes, alii denique in duabus illis cultioribus Italiae regionibus, qui suas utrobique propagarunt vicissitudines verborum et locutionum, ac raro iis utique temporibus factum esse videtur, ut antiqui illi cdd., qui plerique saec. X. vel XI. scripti sunt, alio transmigrarent atque permiscerentur. Mobiliores fuerunt et mutabiliores, qui ex saeculis vulgo XIV. et XV. abunde exstant; tamen in permultis commutationibus lectionum praevalentia, ut ita dicam, lineamenta uniuscuiusque plerumque dignoscuntur; quod etiam valet in unam vel alteram manum secundam, vel quasi codicem alteri insitum. Ea vero auxilia tum demum adire cogemur, si ab antiquioribus libris potioribusque destituti erimus.

His praemissis, ut de codicum generibus et classium ratione cuilibet copia sit iudicandi, percensebo eos locos libri primi, e quibus intelligi possit, vel quibus virtutibus praediti sint singuli libri mss., vel quibus vitiis laborent. Classem transalpinorum ducent FP, cisalpinorum vulgarium RD, non quo et alii pari sint dignitate, ut in illa Bambergensis (qui proxime accedit ad similitudinem Floriacensis), in hac Leidensis (olim Chifletianus, postea Focaltii Parisiensis), sed hos non ex omnibus partibus cognovi. U autem et N instabiles sunt, idque etiam magis alii utriusque generis.

Magna quaestio est de M, num de hoc vere ac recte iudicaverint Alschefski, Hertz, Madvig, alii. Id examine demum diligentiore instituto intelligi poterit; itaque ad eam rem primam omnium aggrediamur, ut deinceps reliquos persequamur. De solo libro primo in praesens agitur, cuius numeros capitum et paragraphorum indicabo. Initium iam fiat ab iis exemplis enumerandis, quae ab omnibus fere, ut opinor, probabuntur.

His igitur locis veras scriptiones retinuit M vel solus ex iis, quos hodie adire licet, vel una cum mixtis sibi cognatis (B Laur. 3. Magl. ed. 2.) accedente nonnumquam r vel d, aut uno vel altero ceterorum mixtorum: 1, 8 domo profugos (non et domo prof.), 5, 6 et aetatem, 7, 12 Herculi adhibitis ad ministerium dapemque (om. reliqui), 13, 4 movet res, 16, 6 venerabundus, 30, 1 ibique deinde, 32, 7 mihi (non pop. rom. mihi), 32, 11 inquit ei, 33, 2 veterum, 36, 4 eludensque, 36, 7 mille et octingenti equites, 45, 2 eum consensum, 46, 7 esset, 47, 12 unde ubi, 50, 5 debere, 53, 6 ne quem heredem, 60, 3 annos quinque et XX.

Multo tamen plures loci sunt, quibus, ut omnium fere fert opinio, M vel solus vel una cum paucis suis et deterioribus a recto aberravit: Praef. 3 in obscuro est, 6 decorata, 10 inceptum fedum exitum, 1, 5 et 9 ubi (pro ibi), 1, 8 urbis, 3, 7 ali coloniae aliquo, 4, 9 in

dies *om.*, 5, 1 palantio monte, 7, 4 laetiores efficeret boves, 7, 10 dicat viri, 9, 5 numquam benigne, 9, 6 vocat *om.*, 9, 15 suam vim factus officio, 14, 3 est *om.*, 14, 4 occupabant, 15, 4 adiuti tum veterani, 17, 2 societate quia, 17, 10 dinumeretur, 18, 7 prospectum, 19, 5 ꝑficere, 21, 2 ipsis homines, 4 ad digitos usque ad, 22, 6 tunc, 23, 9 cum signo, ib. certam, 24, 6 iusiurandum patrono umide, 25, 7 secuturos quemque, 8 tum iam, 26, 4 vivitque. 6 vel extra pomoerium *om.*, 28, 7 redeant, 30, 3 legiones veteres, 5 in locum, 6 patrum memores, 31, 1 res humana esset, 6 illi foraces, 32, 2 pravem cultis, 9 verbum ita indicit, 11 rogabat qui dicens es, 34, 9 levasse humo, 35, 8 urbis spectacula, 10 regem, 39, 2 experfectus esset, 43, 8 de pedestri, 10 vix omnís, 44, 1 quem auraverat, 45, 4 miraculum, 6 pararas, 47, 4 qui accingeris, 48, 8 annos IIII & LX, 49, 1 socerum genere, 50, 4 appareret, 8 id temporis funisset, 51, 7 existimatur, 52, 6 ad dictum, 53, 2 iis primis volscis, 10 eum si nihil, 54, 1 concilia, 3 cum scia, ib. gabinosque, 56, 7 ubi iniurea. Alia menda cum uno alterove transalpino communia habet, ut cum P 9, 14 humano genere, 28, 4 externum id proelium, 41, 1 honore servo, 43, 6 verutum datur; cum U 38, 6 quam nondum. Nonnulla istarum lectionum variantium censorem produnt, qui minime tam innocuus fuerit, quam vulgo ferunt, in quibus 7, 4; 15, 4; 31, 1; 32, 9. De reliqua denique vel pravitate vel bonitate, quae cum tota stirpe alia communis est, et de collocatione verborum, quam haud raro M suam ac propriam habet, infra disseretur, tum de aliis locis, quibus num peculiares huius scriptiones probabiles sint, quaestio erit.

Etiam vulgaribus cisalpinis sive Vaticanae familiae suae sunt virtutes, sua vitia. Haec enim exempla docent illos praestare interdum et Mediceo et transalpinis, atque ad eorum similitudinem accedere plerosque mixtos recentiores: Praef. 5 prisca illa tota mente, 1, 1 auctores fuerant, 4, 2 vi compressa, 7, 15 partae, 20, 5 erogaretur (-rentur), 23, 8 proprior es, 26, 5 raptus in ius, 27, 6 ea (eo) inclinare, 38, 6 cloacis (non e cl.), 42, 2 quin invidia, 43, 11 secundae classis, 13 regionibus collibusque, 45, 2 iam tum, 47, 4 quin, 51, 9 deiectus, 52, 3 potius fortuna, 54, 9 divisui; R solus 54, 6 sequente.

Alia contra in RD falsa sunt, ubi et M et FP vera tuentur: Praef. 3 eorum (non eorum me), 4, 2 patrem esse, 4, 4 iustum, 4, 8 circa saltus, 12, 8 cucurrerat, 16, 5 consilio (non et cons.), 17, 1 pervenerant factiones, 18, 8 posita, 19, 4 luxuriarentur, 22, 2 etiam romulo, 24, 8 defecit, 25, 14 et ut, 26, 14 est ibi, 27, 8 ut asta sequentes, 29, 6 egressisque, 32, 6 numina audiant fas 33, 2 additi

eidem, 6 ea arva, 34, 3 incessisset, 10 nam et romanis, 38, 2 et ego, 6 veniebant aquas, 39, 6 ut domo (in d.), 40, 5 qui consueti, ib. evocati, 43, 13 tribus eas, 47, 1 ad *om.*, 8 inrumpit, 48, 7 quem sceleratum, 50, 4 consilium dixerat, 52, 3 spectent, 55, 2 in ea aedificaretur, 58, 10 me si, 59, 12 adversum. Falsam scriptionem MRD eandem tenent 50, 2 tota die.

Septemdecim locis allatis docui Florentinam familiam (M cum suis tribulibus) prae ceteris recta servavisse; septemdecim exemplis aeque manifestis e Vaticana stirpe sumptis monstravi interdum in hac sola veram scripturam mansisse. Quod quidem non de transalpinis pariter dici potest. Ex iis enim, quae praebent FP, ubi differunt cisalpini omnes, haec quidem vera esse conceduntur: 9, 6 vocat, 21, 2 violare, 56, 11 ignarus (non ut ign.); at vix invenies plura; nam de 5, 5 aperire controversia est.

Hi vero sunt errores satis aperti, quibus a cisalpinis omnibus differunt transalpini: Praef. 11 sera, 1, 5 in quibus, ib. superessent, 1, 7 quid quaerentes, 2, 5 ut etiam non, 3, 7 eductae, 6, 4 verecundiam, 7, 13 sollemnibus, 15 sua facta, 10, 3 moveant, 7 conpositum, 14, 6 tantum vicinum, 14, 8 pugnam, 16, 4 quoque alios, 23, 9 uterutri (ututri), 10 tum indole, 24, 9 dixit ubi, 25, 1 armati cum sui, 32, 11 quas res dari fieri solvi oportuit nec dederunt nec solverunt nec fecerunt (differt P), 33, 5 multis militibus, 38, 2 dederitis, 5 pax inde, 39, 3 videsne puerum, 40, 4 sed iniuriae, ib. delegisset et, 43, 11 quites enim, 46, 6 versa, 47, 4 qui non accingeris, 7 omnibus *om.*, 8 ut etiam, 10 habitis *om.*, 48, 3 gradum, 9 unius est, 53, 3 reque cepisset, 6 neque heredem, 7 apud hostem, 55, 4 sacratis ibi, 58, 2 ductus esset, 59, 10 nefandoque, 60, 2 concitaverat. Praeterea haec omissa sunt: 39, 1 puero dormienti cui Servio Tullio fuit, 47, 10 habitis, 48, 9 ac tam moderatum imperium tamen, 49, 3 ad ius regni. Errat U solus Praef. 1 si scirem, 2 aucti rebus, 7 parentem sui, ib. paciuntur imperium, 13 tanti operis, 4, 9 feras tantum sternere, 6, 4 quorum in tutela, 7, 6 occipit, 9, 11 deferunt, 11 hostiliter *om.*

Quamvis transalpini propria et sua paucissima recta habeant, menda permulta — quadraginta quattuor iam enumeravi —, tamen, id quod valde memorabile est, saepe cum M conveniunt in iis, quae sola recta existimanda sunt, ubi falsa praebent RD, cuius generis exempla supra retuli triginta quattuor, quibus singulis locis veram scriptionem communem habent MFP. Nec desunt lectiones praeoptatae, quibus cum uno vel altero transalpinorum mirum in modum conveniat M, velut cum P 48, 2 utriusque, cum U 32, 6 nominat,

34, 4 et quae haud facile his in quibus nata. Ea igitur opinio nobis confirmatur esse transalpinos sectae Florentinae propiores quam Vaticanae, cum utralibet consensionem illorum ad vera investiganda magni momenti esse.

Post codicem M etiam, quae in eo obvenit, m. 2. commemoranda est, ad quam cognoscendam pauca exempla cum librarii scriptura contulisse satis erit iam prolatis nonnullis in diss. Livian. libr. emendandi ratio p. 29. Includuntur parenthesi quae verae sunt orationis: 7, 9 (Is tum Euander concursu cett.) Istum cett. M, Isto m, 7, 10 (aram hic dicatum iri) dicat uiri M, dicant uiri m, 28, 5 (subiere ad montes) subiere at montes M, subierant montes m (nec aliter B Magl.), 32, 2 (aut neglectis religionibus aut prave cultis) prauem cultis M, praue incultis m, 35, 8 (ubi spectacula) urbis spectacula M, urbi spect. m, 36, 4 (inaugura) inaugur M, augur m, 39, 2 (experrectus) experfectus M, expergefactus m, 40, 5 (Ex pastoribus) exa pastoribus (scr. pr. dittographice, ubi ex deletum), ea pastoribus m, 41, 5 (abterso vel absterso cruore) abiter socruore M, abinterso cruore m, 48, 5 (nec reverita coetum) necreverit acoetum M, necreverit ad coetum m, 50, 8 (quod id temporis uenisset) funisset M, fuisset m, 51, 7 (existimaturi) existimatur M, existimantur m, 51, 9 (deiectus ad caput aquae), delectus M, deletus m, 56, 7 (in iure parum) iniurea M, iniuria m. Adeo quodcumque oblatum erat, arripiebat ille arbiter gignente usque errore errorem, tamen innumerabilia frustra emendare conatus tandem aliquando in formas verborum incidit, quibus inter reliquam farraginem eminet, velut 43, 5 *tertia classis* in *tertiæ classis*, 46, 2 *aduersā patrum uoluntatem* in *aduersa patrum uoluntate* mutavit. Eidem tribuendum 39, 3 viden tu, quod in contextum recepit I. F. Gronovius credens id ipsius codicis esse. Talia conspiciuntur lucida intervalla in quolibet fere codice correcto, neque ea ad universam fidem augendam multum valent. Itaque aegre fero Alschefskium 49, 9 perque eas nuptias M m. 2. ut principalem scripturam afferre, et 56, 11 haec ita eum indicare: »*redissent:* M m. 2. *redisset:* m. 1.«, quasi par esset utraque manus atque in tali re redissent praeferendum. Exhibetur et ab m et ab antiquissimis edd. et a transalpinis nonnullis (in quibus U) 1, 1 *fuerunt;* refragantur vero iam non solum P dupliciter correctus, sed teste Riemanno etiam RN et fortasse M, contra quae testimonia, cum per se paulo durior sit locutio, parum valet illa commendatio. Alia lectio eiusdem m. 2., quae est 1, 1 *a duobus Aenea Antenoreque* (quam in Collatione omisi) iam nemini probatur.

Quamvis magnam partem nihil aliud sint manus illae secundae, quas dicunt, nisi satis libere factae coniecturae antiquae in rebus levioribus, et ipsi codices recentiores mixtique multa aperte falsa habeant, tamen ubicumque manifestae obveniunt depravationes bonorum codicum, non inutile erit, antequam ad novas coniecturas confugiatur, istorum subsidiorum notitiam sibi comparare, utpote in quibus non desunt certissimae emendationes, quarum multae antiquitus in editiones receptae fuerunt. Etenim confitendum est recentiores familiae Florentinae his locis praestare Mediceo: 7, 12 tum primum (ed. 1.), 17, 9 idem ius (ed. 2.), 24, 3 cuius populi (ed. 3.), 24, 7 prima postrema (ed. Frob.), 26, 8 I lictor (ed. Francof. 1588), 34, 8 demissa leniter (ed. 1.), 39, 1 visu eventuque (ed. Ald.), 39, 6 familiaritatem auctam (ed. 8.), 48, 7 tulisse (ed. 1.). Similiter N accedentibus mixtis quibusdam antecellit melioribus familiae Vaticanae 18, 6 in lapide (ed. 3.), 24, 8 illo die iuppiter (ed. 1.), 35, 1 instare (ed. 1.), 56, 1 haud parvus (ed. 1.). Has autem rectas scriptiones tali modo errantes deprehendimus: Praef. 9 desidentis E (ed. 5.), 1, 7 percontatum r (ed. 1.), 15, 4 nulla arte f (ed. Grut.), 26, 5 ac secundum iudicium f (ed. Frob.), 32, 11 Priscis Latinis Q (ed. 1.), 34, 5 exule Srf (ed. Ald.), 37, 2 impediit r (ed. Ald.), 41, 1 mirantium OEASHI r (ed. 1.), 41, 7 iam tum comprehensis (non cum compr.) UOESI rp, 43, 2 prima classis rf (ed. 1.), 48, 6 Esquiliarum (exq.) S (ed. 1.), 51, 2 ut in r (ed. 1.), 55, 1 vovisse SH mr (ed. 1.), 56, 2 aliquanto maioris mr (ed. 1.), 59, 1 manantem OE (ed. 1.), 59, 4 patris maestitia O r (ed. 1.). Separatim haec notanda: 26, 9 in filium t (ed. 1.), 56, 11 matri OET mrdf (ed. 1.); utrumque ut ad contextum orationis necessarium in editiones receptum improbatis, ut decebat, quae ceteri omnes cdd. exhibent, filiam et patri. Quod vero aeque necessarium esse iam intellexerat Fulvius Ursinus, 46, 8 Lucius Tarquinius, nec in ullo vel vilissimo codice quisquam nactus est nec, cum desit talis auctoritas, editores scribere ausi sunt. Monet ad hoc Madvig: »Livius scribere debuit L. Tarquinius«, quod quidem ad multa alia pari iure monere oportebat, nisi quae nulla Livii culpa aperte falsa tradita sunt, potius correxissent interpretes.

Ex iis, quae exposita sunt, patet pleraque eorum, quae in vilioribus solis cdd. integra servantur, iam in ed. principe aut proxime sequentibus recte scripta fuisse, paucissima usque ad saec. XVI. aut XVII. neglecta esse. Simul vero innumerabilia, quae in optimis cdd. salva erant, in cdd. veteribus depravabantur; quid? quod tanta editorum fuit inconstantia, ut quae semel bene se haberent, per longum tempus in deterius relabi paterentur. Quo modo, ut exemplum af-

feram, etsi 1, 1 restituerat Asulanus, auctor editionis Aldinae, *Aeneae Antenorique*, primarum editionum *Aenea Antenoreque* etiamnunc apud Drakenborchium recurrit. E contrario 59, 1 recte iam in prima ed. *manantem cruore* erat, quod Asulanus in falsum illud codicum *manante cruore* mutavit, quem secuti sunt nonnulli recentiores. Similiter 41,1, ubi in antiquissimis edd. (1. 3.) *eiicit* legebatur, idem Asulanus multique alii codicibus serviliter obtemperantes *eiecit* perperam scripserunt. Ut eiicit hocce in cdd. frustra quaesivi, sic alia nonnulla, quae in libris manu scriptis nusquam videram, iam in ed. 1. correcta inveni, 1, 7 agrum Laurentem (non -ntinum), 6, 3 in iis locis (non his), 23, 6 instructi (non structi) 41, 5 absterso (non abt.), 43, 11 centuriae peditum (primum om.), 50, 6 sin suos (non si in), 51, 2 corrupit ut in ctt. (non corrupit in), 56, 11 Tarquinii ut Sextus (non Tarquinius Sextus). Haec concedente Ioanne episcopo Aleriensi auctori Victoriano Feltrensi accepta referenda sunt. Notior emendator exsistit M. Antonius Sabellicus, qui primus ad Praef. 1 monuit de Quintiliani (Inst. or. 9, 4, 74) testimonio de exordio, 1, 2 Pylaemene, 13, 5 Curtium in vado statuit, 26, 6 Lex horrendi carminis (pro criminis), 30, 2 Iulios (pro Tullios), 32, 2 in album relata (non elata) scripsit aut scribi voluit.

Si deinceps eas, quae satis firmae videntur, libri primi emendationes persequimur vel coniectura inventas vel olim ex codice aliquo sumptas, hi saeculo sexto decimo correctores his locis nominandi sunt: Franc. Asulanus (in ed. Ald.): 9, 3 quas sua virtus; Nicol. Carbachius (in ed. Moguntina): 53, 3 divendita praeda; Iac. Sobius (ed. Colon.): 7, 15 partae, 43, 15 Tertiae classis quinquaginta; Simon Grynaeus (ed. Frob. 1531): 32, 13 senatusque, 49, 7 traditum; Beatus Rhenanus (ed. Frob. 1535): 26, 5 ac secundum iudicium, 44, 3 ita pomoerium, 45, 5 civis Dianae immolasset; H. Loriti Glareanus: 11, 8 Additur fabula, 18, 2 Crotona, 55, 9 scribit, summam; Vascosanus editor (1543): 53, 5 iaciendis; Petrus Nannius (Nanninck): 16, 12 equis ierant, 21, 3 ibi concilia; Carolus Sigonius: 21, 4 et fidei, 32, 13 hominesque; Fulvius Ursinus: 46, 9 Lucius Tarquinius; Franc. Modius: 26, 7 I lictor. Sequuntur hi saeculo septimo decimo emendatores: Iustus Rycquius (de Rycke): 21, 4 Et Fidei; Ianus Gruterus: 17, 3 regnari, 32, 11 rex his, 36, 7 alterum tantum, 39, 5 in prisci Tarquinii domo, 43, 5 et hae; Ianus Gebhard: 46, 6 aversa; Iohannes Fredericus Gronovius: 25, 12 causae, 32, 2 longe antiquissimum, 39, 2 eam, 44, 2 is censendo finis; Tanaquil Faber (Tanneguy Lefebure): 26, 8 Ita provocatione certatum, 36, 4 ille augurio rem expertus; Iohannes Georgius Graevius: 17, 1

ad singulos; Iacobus Gronovius: 8, 3 apparitores hoc genus, 37, 2 et fusis; Iac. Perizonius (Voorbroek): 32, 9 Iane Quirine, 43, 7 His accensi, 52, 2 sint, eo foedere teneantur. Duodevicesimum autem saeculum emendationum minus fertile fuit: C. A. Heumannus: 8, 3 et numerum; I. B. L. Crevier: 32, 12 bellum erat consensum; C. L. Bauer: 56, 4 in regia. Nostro denique saeculo haud pauca accesserunt: I. H. Voss: 23, 6 tamen, si vana adferantur, 23, 8 quo propior es, hoc magis scis (quod etiam C. G. Heyne); C. F. S. Alschefski: 54, 1 esse et in eo; Wilh. Weissenborn: 27, 8 item imperat, 34, 4 ea, quo innupsisset, 41, 6 palam factum est; Henr. Wilh. Heerwagen: 19, 6 intercalariis mensibus, 59, 5 parte praesidio relicta; Io. Nic. Madvig: 21, 1 pro anxio (quod leviter attigit. De ceteris coniecturis infra disputabitur); Hermannus Iohannes Mueller: 25, 2 animos intendunt, 39, 5 Prisci Tarquinii in domo; E. Woelfflin: 54, 1 adsentiri.

Hae, quas retuli, coniecturae mihi quidem praeclarae videntur, etsi non omnes ab aliis probatae sunt aut ab auctoribus ipsis, qui quidem editiones effecerunt, in contextum receptae, partim post longa tempora in honore esse coeperunt aut neglecta iacent etiamnunc. Praeterea innumerabilia fere a multis temere sunt divinando temptata, quae vix memoratu digna habeantur. Doleo quod Emendationes Livianae, quas scripsit Henr. Alanus Dublinii 1864 sq., nondum mihi quidquam praebuerunt. Quis est autem, qui totum diem iaculans non aliquando collineet? His enim verbis Ciceronis semet ipse consolatur. Silentio etiam ea praetereo, quae hodie ipsis cdd. satis cognita recte divinata erant iis temporibus, quibus plenior eorum notitia deerat. Atque interdum vel uno libro satis monemur de recto, praesertim si menda, quae vulgaria sunt, considerantur.

Hoc iam mihi proposui, ut de iis, quae aut alios fugerunt aut nondum ita pertractata sunt, ut nihil amplius requiratur, singulos locos ordine persecutus quae cogitavissem scientissimi cuiusque iudicio modeste subiicerem. Ut vero ante alia cum Mediceo rem tandem transigamus, supra examinatis mendis levioribus restant multa satis recondita, quae a ceteris seiuncta considerare operae pretium erit, et quidem primum ea, quae ad ordinem verborum pertinent.

Saepenumero postremo tempore eos, qui ad libros Livii edendos se contulerunt, a recta via deduxit Mediceus ab Alsch. collatus. Qui, ut ab hoc loco commemorando initium fiat, ad verba illa, quae 50, 6 ab omni antiquitate fuerant *bona amittant*, hoc adnotavit: »amittant bona: M«, atque ipse haec ita in orationem Livii recepit; eumque nihil suspicati Weissenborn (in primis edd.), Ingerslev, Muehlmann,

Hertz, alii secuti sunt. At sic scripserat librarius: *eant amittant quid* ctt., quod corrigere voluit alia manus, quae nigriore atramento usa post *amittant* supra versum addidit *bona*. At nullam omnino fidem esse manus istius correctricis supra docui, atque apparet chiasmum hic non esse idoneum. Ibm § 4 convenienter cum iis, quae tradita erant, scribebatur *Principibus longe ab domo excitis*, cum primum hoc vere adnotavit Alsch. »*a domo:* M», quod avide arripuerunt editores nihil curantes illud, quod in ceteris constabat, *ab domo*. Deinde hoc adiecit: »In M exciderat *principibus*, sed m. 2. in marg. additum est». Quam vocem hic, ut in § 6 *bona*, posteriore demum loco additam esse in marg. non narrat, qua ipsius neglegentia paene dicam cautum est, ne hoc quoque loco eadem re permoti editores orationem Livii talem redderent, qualis in M adiutrice manu secunda exstat, scilicet »longe a domo principibus excitis». Atque hoc ipso loco, quo repositum est (post *domo* inquam) excidisse *principibus* tum ex eo verisimile fit, quod in transitu ad alium versum id facilius omisit librarius (cf. 9, 12 insignem, 13, 2 se), tum exemplo fidelis comitis, ed. 2., ita id collocantis. Probabile est igitur M:m hic quoque a reliquorum ordine discessisse, sed casu fortuito non tam, quam alibi, editionibus post Alsch. detrimento fuisse. Reliqui sectae Florentinae recentiores nondum hic inspecti sunt, in plerisque vero, de quibus posthac dicam, huius generis locis sunt cogniti. Ad eorum societatem ex alienigenis solus se applicat nonnumquam U, quo nullus codex in verbis collocandis suspectior est. Quo modo 1, 2 *adriatici maris* exhibent M U 2., *maris adriatici* reliqui omnes. Nullo suo sono ibi adiectivum illud enuntiandum erat, ut si aliud mare ante nominatum esset, in quod altera pars Troianorum pervenisset. Neque eo minus ficta praestantia M:i valuit apud plerosque. Valde memorabile est 3, 7 *aliquot coloniae* U et ed. 2. exhibere, quod si ita est in B Laur. 3. Magl., satis certum videtur eam scriptionem ante oculos habuisse eum, qui talem finxit scripturam M:i: *ali colonię ˉaliquo*. Facile excidit *quo* ante *co*, ad quod damnum sarciendum id ipsum, quod scripturus fuerat, *aliquo* post *coloniae* repetitum: iam ante enim *aliquot* in *aliquo* antecedente *eo* commutatum erat. Quam scripturam (aliquot coloniae), qualiscumque est, si Medicei re vera fuisse divinassent, qui hunc mirifice colunt, sine dubio sibi vindicavissent.

Decem sunt loci, quibus ne U quidem societatem ineunte unus M cum iunioribus suis comitibus, quatenus cogniti sunt, de ordine verborum ab omnibus discrepat et cdd. et edd. antiquis. Ubique Alschefski M, quem non semper satis cognoverat, praeter ceteros secutus est multosque secum traxit. 9, 3 retinebat Drakenborch com-

mune illud codicum »magnas opes sibi magnumque nomen facere«, ad quod Alsch. »magnas sibi opes magnumque nomen facere: M«, nec dubitavit sic verba ordinare. At scripserat librarius »magnas opes magnumque nomen facere«. Post *magnas* super *opes* additum est *sibi;* quo modo habeant recentiores, nescimus. Utique ad fidem M:i infringendam ceterosque commendandos valet Quintilianus, qui 9, 2, 37 haec ipsa verba ita refert: magnas opes sibi cett. Nec praeter Madvigium quisquam hic Alschefskium secutus est. Similiter ibm § 12, ubi semper scriptum fuerat »Unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem«, notavit Alsch. »unam longe ante alias insignem specie ac pulchritudine: M«. Verum non ab ipso librario, sed ab alio aliquo in margine, ut in versibus permutandis omissum, additum est *insigne* (sic!). Ceterum, post *pulchritudine* super versum scriptum fuisse *insignem* et radendo deletum adnotat Riemann, idemque refert *insignem* post *alias* esse etiam in B Magl., quod indicio est eum ordinem periucommodum, qui Alschefskio soli et Madvigio placuit, huius familiae proprium fuisse. Ad ea, quae 13, 2 cum cdd. concordabant, »ne se sanguine nefando«, suo more adnotavit Alsch. »ne sanguine se nefando: M«. Ibi quidem *se* ante *sanguine* plane deesse certissimum est, post autem in exitu versus longioris id ipsum, ubi rasura est, fuisse, si ed. 2. contuleris, credibile videbitur. Opponuntur vero *se* et *soceri generique*, quare *se* non est in recessum illum inter *sanguine* et *nefando* inserendum, quo vocis sonus nimius in *sanguine* illud recidit. Weissenborn Alschefskium, quem sequitur Madvig, mature deseruit.

Quam parva sit in his exemplis auctoritas Medicei solivagi, facile apparet, nec maior sane est in sequentibus. Si 1, 3 cum M »pagoque Troiano inde nomen est« legitur, vox Troiano nimium recedit; si vero 1, 10 »Ea utique res« probatur, res plus iusto extollitur. Eiusmodi etiam incommoda adferunt haec: 2, 6 mortalium operum, 3, 4 deductam coloniam, 5, 4 ad supplicium Numitori, 5, 7 ad apertam vim par (quod quidem dissonum est), 7, 7 ad speluncam vadentem. Praecurrunt plerumque adiectiva et alia, quae melius post posita sine accentu efferenda erant. Has quinque scriptiones in prioribus editionibus assumptas Weissenborn tandem respuebat una excepta (3, 4 ded. col.), quam ipsam Madvig in priore ed. nondum, ut ceteras quattuor, acceperat. Reiectas denique a Weissenbornio et has et alias eusdem generis denuo, id quod mirandum est, in ed. 7. recepit H. I. Mueller.

Restant commemoranda sex exempla varii ordinis verborum, quibus locis M differt a Vaticana familia, congruit cum transalpinis.

Etsi absurdum est confusis casibus diversis, quod communiter hi praebent Praef. 5 prisca tota illa mente repeto (ubi iam ed. 2. recedit), tamen probanda sunt, quae eodem consensu commendantur, Praef. 3 magnitudine eorum me, qui nomini officient meo, consoler, 6, 3 Albana re permissa, 18, 8 precatus ita est, 43, 13 partes eas tribus appellavit. Sextus locus, 25, 14 ut et pugnatum est, paulo pluribus est memorandus. Sic cdd. et edd.: *ut et* MFPU Vorm. edd. Frob. Grut. Gron. Als. Hz. Wb. Madv. *et ut* TQ 2. Ald. Sob. Crev. Lem. Drak. *Et ut* RDLNOE. *ut* Bamb. B 1. 5. 6. 8. 9. Mog. In hunc modum mihi explicandum videtur *ut et pugnatum est:* ut etiam magnis intervallis Horatium fugientem secuti pugnaverant Albani, vel dicam, ut distantes inter se ceciderant, ita locis distantia eorundem erant sepulcra. Id dictum voluit Livius, intervalla sepulcrorum ex intervallis pugnarum, quae deinceps repetitae modo descriptae essent, pependisse. Frustra igitur Iac. Gronovius verum esse contendit alterum ordinem verborum his verbis usus: »*et ut pugnatum est;* vacua enim est altera admonitio, et nullus, qui priora Livii legit, nescire potest distantibus locis pugnatum esse«. Neque supervacaneum atque inutile *et* est habendum, cf. 27, 5 Hi et in acie.

De ordine igitur verborum sic statuendum censeo, quibus locis congruant MFP, plerisque recte se habere, per se M nullam habere auctoritatem. Iam vero inspiciendae sunt aliae scriptiones Medicei propriae ac peculiares atque accuratius examinandae.

Praef. 3 *in obscuro sit* propter grammaticam rationem scribendum esse iam apud omnes constat, florisque brevis fuit, quod praebet M, *in obsc. est.*

1, 3 *primum egressi sunt* iam non comparet nisi in M, neque eo minus ante eum codicem nova collatione cognitum exhibebatur ab omnibus, hoc rursus subsidio comparato adeo non auctiorem sibi fidem conciliavit ea lectio, ut a Weissenbornio, Ingerslevio, Hertzio, aliis reiecta paene in oblivionem adduceretur, cum a Madvigio et H. I. Muellero revocata est. At num necessario? *In quem primum egressi sunt locum* idem fere est atque is locus, quem primum in terram egressi occupaverant, 5, 34, 8; itaque primus appellatus ille locus distinguitur ab aliis, quos deinceps in terram egressi Eneti occupaverunt. Paulo aliter *primo*, quae reliquorum scriptio est, accipitur; significat enim quod primo post adventum tempore i. e. statim initio factum sit, ut quod alia postea secuta sint, nec ob id necesse erat, sicut in §. sequente, res porro ordine gestas exponere. Cf. primo 21, 33, 11. 4, 2, 10.

1, 8 *urbi.* Hic non tam, qui vel qualis locus esset, dictum est, quam quem ad finem quaereretur. Non loquitur Aeneas de loco quodam, quem noverit Latinus, utpote qui a fato Troianis domo profugis esset constitutus, sed quam ob causam et quo consilio locus aliquis sibi esset eligendus. Itaque falsa est scriptura *urbis* ab M commendata, vera ceterorum. Editionem Weissenbornianam correxit Mueller.

2, 1 *petiti* propter M primus scripsit Madvig (non Alsch. aut Hertz) pro eo, quod est in ceteris cdd., *simul petiti.* Foedere iunctos bello simul petitos a Turno dicendum erat, quippe qui utrosque pariter ulturus esset. Causa inimicitiarum talis fuisse declaratur, ut tum in Aeneam tum in Latinum ob easdem privatas iniurias odio ferretur. Itaque fieri vix potuit, quin *simul* illud, quod semel apte positum erat, paulo post repeteretur, nec Livius omnino eiusmodi repetitiones aversabatur.

2, 6 *flumen* erat scriptio editionum ante Alsch. eademque codicum excepto M cum ed. 2 (in P dittographice *fluminum*), quod satis fuit ad rem perturbandam. Flumen vulgaris apud Livium appellatio est, fluvius infrequens. Fluminis nomine feruntur ex iis, quae in Italia sunt, Aesis 5, 35, Alia 5, 37, Anio 6, 42, Asturae flumen 8, 13, Athesis Per. 68, Cremera 2, 49, Galaesus 25, 11, Metaurus 27, 47, flumen Tarracinae 24, 44, Ticinus 5, 34, Trebia 21, 54, Utens 5, 35, Vulturnus 10, 20. Rara sunt haec: Trebia fluvius 21, 48, fluvius Albula (Tiberis) 1, 3, Arnus fluvius 22, 2, Macra fluvius 39, 32. Variandi causa magis in usu est amnis: ut 21, 27 Rhodanus flumen et amnis promiscue appellatur, sic etiam Liris 26, 9 et 34, Anio 2, 26, Ticinus 5, 35, Vulturnus 23, 14. In oraculo 25, 12, 5 Amnem, Troiugena, fuge Cannam. Externi pauci *fluvii* nominantur, vulgo *flumina* aut *amnes.*

4, 6 *expositi,* ubi *iam expositi* M, quod probarunt Alsch. et Hertz. Sed, postquam narratum est pueros expositos esse, non potest commemorari de alveo aliter fluitante in sicco destituto nisi ita ut pueri eo expositi essent aut saltem fuissent, non de alveo aliquamdiu fluitante antequam exponerentur.

6, 1 *scelus* post Alsch., qui M ex consuetudine sequitur, omnes legunt. At verius ceteri cdd. et priores edd. *scelera;* nam sceleri scelus addiderat Amulius (3, 11), ac multiplex in uno facinore crimen erat. Interfecto Amulio multa in se liberosque suos impie nefarieque commissa conqueri iure poterat Numitor, nec ea tum in contione extenuare consentaneum fuit.

12, 7 *velut si sensisset* ex M receptum ab Alsch. hodie servatur ab omnibus. Antiquitus legebatur *veluti si sens.*, extremum ita in ed. Mog. At RDF Bamb. apertissime habent *veluti sensissent*, quod forsitan ita fuerit in P, ubi inter duo illa in artissimo spatio legitur *si*, atque *i* solum visum est mihi esse a m. 2. Cum iisdem cdd. plane concordant NEASH, estque ea vera habenda codicum scriptura, quae primum conspicitur in ed. Ald., retinetur a Sobio, Rhenano, Modio, Grutero, Gronoviis, quorum tamen minor ille e nonnullis cdd. refert *veluti si*, atque ex aliis locis Livii *velut si*, quod ansam dedit Drakenborchio aliisque ad antiquissimarum edd. lectionem (veluti si) revertendi. Omitti interdum a Livio (non quidem ab ullo ante eum scriptore) hocce *si* in ficta comparatione hi loci testimonio sunt: 2, 36, 1 coepti inde ludi, velut ea res nihil ad religionem pertinuisset, 2, 41, 9 velut abundarent omnia, 2, 50, 4 velut casu incidissent. Praeterea unum exemplum adnotavi e tertia decade (24, 5, 2), plura e quarta (31, 1, 1. 35, 14, 4. 39, 11, 6. 40, 12, 1). Tum his locis tum iis, ubi *si* additur (1, 56, 12. 21, 8, 6; 16, 2; 41, 10 et 15. 23, 9, 1; 18, 14. 25, 38, 8. 28, 32, 7. 29, 28, 9) non veluti, sed velut scriptum inveni (at vid. Luchs ad 29, 28, 9); videtur tamen nullo eorum locorum, ubi deest si, scriptio illa trisyllaba ad sonum suavem tam idonea fuisse, quam hoc ipso, qui nobis adest. Accedit quod, nisi saepius hanc scripturae diversitatem praetermisi, Livius alterutram harum scriptionum diverso temporis spatio praetulit: primae enim decadis unum exemplum habet velut si, quattuor velut, unum veluti, tertiae decadis omnia (quae novem sunt) uno excepto retinent velut si, quartae denique exemplum nullum adnotatum *si* appositum habet. Quae cum ita sint, sic censeo, loco eo, de quo quaestio est, codicem M unum ceteris non esse praeferendum.

16, 6 *perfusus horrore venerabundus* ex M scripserunt Alsch. et qui sequuntur, ut prius illud causam indicaret, cur venerabundus adstitisset; quod quidem longius petitum videtur. Simplicius ita coniunguntur, ut et animi habitum et reverentiam divo Romulo praestitam una significent. Itaque postposito M *venerabundusque* legere oportet.

22, 6 *legatis dicendi potestatem, quid petentes venerint, facit.* Cum multi alii tum Weissenborn praetulerunt, quod in M est, *fecit;* sed donec idonea exempla talis temporum consecutionis prolata erunt, in ceterorum codicum scriptura subsistere satius erit.

31, 5 *implicitus*, ut et alibi scribit Livius (3, 2, 1. 23, 34, 11. 28, 24, 1), nondum in omnibus edd. restitutum est, postquam ex M *implicatus* solito more inrepsit. Etiam fragmentum Havercampianum, quod Mediceo alias simillimum erat, habuit *implicitus.*

33, 6 *in Tiberi facto*, ubi nonnulli contra legem grammaticam scripserunt *Tiberim*, quod est in M, qui etiam 37, 2 falso habet in Tiberim.

34, 8 *abiit* in omnibus fuit edd. usque ad Alsch., et sic habent omnes cdd. excepto M vel omnino Florentina familia, cum qua conspirat N. At i pro ii tum in M tum in rell. cdd. vulgare est, ut 37, 2 impedit pro impediit, 27, 4 transit pro transiit. Primum vero se in conspectum dat aquila pilleum auferens capitique apte reponens, quo descripto prodigio abiisse brevissime dicitur; quam ad narrationis seiunctionem designandam apte variat tempus: *inde sublimis abiit;* quare minus provide M secuti sunt editores novissimi. Simillimus est locus 48, 3, ubi describitur Tarquinius luctans cum Servio: *medium arripit elatumque.. per gradus deiicit;* seiunctum, quod postea opus longe aliud susceperit, his verbis edocetur: *inde ad cogendum senatum in curiam rediit.* Quod et ceteri et M ipse hic habent, *rediit*, non est repudiandum; at, quod itidem est in omnibus cdd., *deiecit*, recte opinor multos in *deiicit* mutavisse. 27, 10 primum pugna describitur: Terror ad hostes transit... terga vertunt. Instat Tullus cett., ubi narratur, quid deinde Tullus susceperit: *fusoque Fidenatium cornu..ferocior rediit*, ut suo iure habent RDL, quod editores non agnoverunt. 4, 22, 2 hostes in loca altiora concessere. Eo dictator agmine infesto *subit*, nec procul Nomento signis collatis *fudit* Etruscas legiones. Quin hic post praesens remotius illud perfecto efferatur, dubium non est; sed pro ipso praesenti *subit*, quod habent MRDLFPU, in Veronensi est *subiit*, quod negantibus utique ceteris non satis valet.

Ubi in eodem subiecto quod subsequitur alterum praedicatum seiungitur aliquo modo a priore aut ut res contraria accedit, ex praesenti in praeteritum fit transitus, aut ex praeterito in praesens, ut 21, 33, 11 Castellum capit, et captivo cibo per triduum exercitum aluit, 4, 19, 5 adsurgentem umbone resupinat, repetitumque saepius cuspide ad terram adfixit, 1, 3, 3 urbem matri relinquit, novam ipse aliam condidit, 1, 59, 12 ipse in castra est profectus, imperium in urbe Lucretio relinquit, 1, 15, 4 urbe valida abstinuit, agros rediens vastat. Alia autem res est 1, 41, 1 Tanaquil claudi regiam iubet, arbitros *eiicit*. Simul quae.. opus sunt comparat, simul alia praesidia molitur. Habent hic cdd. *eiecit*, ac sunt qui id retineant; sed iam primae edd. (equidem in edd. 1. 3. Frob. aliis iam vidi) dant *eiicit*, ac nisi ita (non *eicit*) scriptum fuisset, non in *eiecit* abiisset in litteris uncialibus; quam ob ipsam causam, quod paulo supra allatum est, *deiecit* ex *deiicit* factum est. Quod si ita a ve-

teribus scribebatur, nosne potius posteriorum temporum corruptelas imitari?

35, 8 *Tunc primum* simul ac in M esse compererunt editores, et priores omnes et codices ceteros, qui vulgare illud *tum primum* (velut 1, 33, 6) tuentur, deseruerunt, parum memores iam 1, 22, 6 M eodem modo prae ceteris erravisse, quo loco ne Hertz quidem ut eum sequeretur adductus est.

37, 2 *cum hostem effugissent, in flumine ipso periere:* hostem Romanum effugerant Sabini, Anienem flumen non effugerunt. Quia opponuntur inter se quae duo erant fugae impedimenta, hostis nimirum et flumen, numerus singularis, *hostis*, aptus est, eumque tenent, ut codices praeter M, sic inde ab ed. 1. editionum tota series usque ad Alsch., a quo plerique in eandem lectionem illecti sunt. E contrario 53, 7, ubi ad hostes patris sibi confugiendum fuisse simulat filius, pluralis forma requiritur, errantque soli cdd. transalpini.

37, 6 *gesta res erat;* namque de una re, pugna temptata, agitur. Ut saepe in cdd. res cum verbi forma plurali falso iungitur — vid. Livianor. libr. I. dec. emendandae ratio p. 36, adde 1, 13, 4 Movent res —, sic in M hoc loco fuit *res erant,* propter quod deinde etiam *gesta* in *gestæ* mutatum est, idque dictum, ut fieri solet, in aliquod tempus in edd. quasdam immigravit.

43, 13 *a tributo* primus Alsch. ex M cum paucis mixtis. Est quod restituamus ceterorum codicum atque omnium ante Alsch. editionum scripturam *ab tributo,* pariter atque 50, 4 *ab domo* (pro *a domo* M).

47, 5 *fratris similior quam patris* coniectura est Alschefskii, quae ex parte in speciem utique nititur codice M, quem tamen in eo non diligenter describit, quod m. 1. et m. 2. pariter habere *frisimilior* perhibet, »die Worte nicht getrennt und der Consonant nicht gern 2mal geschrieben», ut adnotat Kuehnast Liv. Synt. p. 125. Esse igitur ob eam causam unum s putant, quod verba non divisa sint, atque in illa confusione intelligendum esse *fratrissimilior.* Id vero falsum est, nam distincte scripsit librarius *fris imilior* virgula super *ri* litterarum compendium indicante, nec alius error fuit quam s suo loco motum, quemadmodum male dividendo scripsit idem 48, 5 necreuerit acoetum (nec reverita coetum), 24, 4 ter exposco (te rex posco), 32, 12 puropio quae de uello (puro pioque duello). Sic ubi exstitit *fratris,* facile ad similitudinem effictum est subsequens *patris.* Id tamen addere oblitus sum, *s* in *patris* postea deletum esse atque diversis lineolis alterum *s* hinc a *fri* seiunctum illinc ad *imilior* retractum. Quibus factis mutationibus haec exstat lectio *fratri simi-*

lior quam patri, quae eadem est reliquorum codicum atque omnium ante Alsch. editionum. Illum tamen plerique posteriores secuti sunt, atque adeo Weissenborn in novissimis demum edd. Genitivi autem hic ut assumantur, ne M quidem re vera iubet, nedum reliqui. Iubetne Livii dicendi consuetudo? Minime vero. In pronominibus quidem is utitur genitivo: 3, 9, 8 si quem similem eius dii dedissent, 22, 39, 1 collegam tui similem, 22, 60, 18 quorum si ceteri similes fuissent, 21, 54, 3 vestri similes eligite, 26, 50, 7 scias multos nostri similes in civitate Romana esse. Nominum exempla sunt 1, 20, 2 plures Romuli quam Numae similes reges, 3, 46, 4 denuntiare se Icilio similibusque Icilii, 3, 64, 8 dissimiles decemvirorum. Sed magis omnino ad usum dativi inclinare videtur: 1, 22, 2 Tullus proximo regi dissimilis, 3, 65, 9 si similes Icilio tribunos haberet, 4, 3, 16 fieri posse, ut vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus, ex plebe sit, Numae, L. Tarquinio, Ser. Tullio similis, 4, 9, 8 pulsa plebs, nihil Romanae plebi similis, 5, 36, 1 Mitis legatio, ni praeferoces legatos Gallisque magis quam Romanis similes habuissent, 5, 28, 3 in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior quam suis, ibm § 4 quae (multitudo) semper ferme regenti est similis. In iis vero, quae sub sensus cadunt, dativus apud Livium constanter dominatur, velut 6, 13, 3 fluctuanti similis acies erat, 5, 38, 5 In altera acie nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites erat, 5, 41, 8 intuebantur in aedium vestibulis sedentes viros simillimos diis, 26, 50, 13 venisse diis simillimum iuvenem, Praef. 8 haec et his similia, 7, 2, 7 Fescennino versu (versui) similem, 3, 40, 2 Claudii oratio fuit precibus quam iurgio similior, 4, 31, 9 omnia castris quam urbi similiora, 4, 33, 3 incendio similius quam proelio, 23, 37, 5 ut eo die obsesso quam obsidenti similior esset Poenus, 28, 30, 8 neque erat navali (pugnae) pugna similis, 26, 49, 6 media simillima veris sunt. Habent edd. 33, 6, 13 caligo noctis simillima; sed potuit s, ut fit, agglutinatum esse ex sequente. 22, 12, 5 *duce Flaminio Sempronioque simili* scribebant editores ante Madvigium. Notaverat autem Alsch. in cod. Put. principio scripsisse librarium *flaminissempronioque*, mox ipsum *flaminio* correxisse. Mihi quoque visa est primae manus scriptura flaminio sempronioque. Quam correctionem manifestam dissimulans Madvig (Em. ed. 2. p. 292 extr.) sic verba facit: »ex eo, quod in P scribitur: *Flaminissempronioque*, fit *duce haudquaquam Flaminii Semproniique simili*«. Non molesta illa quidem argumentandi ratio. Id vero vi quadam magica effectum est, ut deinceps omnes scriberent Flaminii Semproniique simili. Ciceronem usque quaque quaerentibus genitivus in hac re

acceptior est. Verum ne is quidem abhorret ab usu dativi, cf. Draeger § 197.

57, 2 *ministeriis*, »legendum: Ministerio. nec opus est hic numero multitudinis», Rhenanus. Ita igitur fuisse in cod. Vorm. verisimile est; certe M sic habet. Erant tamen alia ministeria fabrorum ferrariorum, alia tignariorum (distinguuntur 59, 9 opifices ac lapicidae); quamobrem retinenda est scriptio reliquorum cdd. atque edd. ante Alsch., ad quam redierunt iam recentissimi.

60, 2 *concierat* ex M haustum ab Alsch. avide omnes sumpserunt; ante enim fuerat ex reliquis cdd. *conciverat*, nisi quod transalpini et edd. ante Aldum praebent *concitaverat*. Constans autem est Livii scriptio *conciverat*, ut 6, 7, 1 et 9, 37, 1, similiterque *excivit, exciverat*, alia, ut 3, 50, 2. 1, 28, 2. 1, 18, 3.

Minoris momenti sunt, quae solus vel Hertz vel Alschefski ex M mutuatus est: scripsit ille 45, 6 Quidnam tu hospes pararas?, hic autem 14, 4 occupabant bellum facere, item alia, quae iam vitio verti illi codici cum ceteris comparato. Quid? quod, quae correctiones esse creduntur, nonnumquam nihil aliud sunt nisi aperti errores Alschefskii, quos alii celebrarunt. Quod 7, 1 inde ab Aldo scribebatur *se* ostendisset, in *sese* mutari coeptum est ea ipsa scriptura ex M relata; sed falsum id est, nam impediente plica ante illam scribere destitit librarius deletoque quod ibi inchoaverat in plano *se* illud statuit. Adfirmat idem Riemann: »c'est de 1re main que le 1er *se* est effacé dans M». Ante Alsch. 12, 6 semper scriptum fuerat *quod monumentum sit posteris;* at in P *monumento* in *monumentū* a scriba ipso correctum erat — et hoc pro vera m. 1. habendum esse etiam Heerwageno collato Bambergensi mihique collato Floriacensi certum videtur —, quae satis plena ratio habebatur, cur Alschefski Medicei ceterorumque oblitus *monumentum* in textum reciperet.

Mira aviditate petitis ex M iis, quae ad orationem Livianam emendandam aliquid conferre putarentur, minime credas quidquam in eo aptum usui esse, quod neglectum iaceat. At videamus. 25, 9 Albanus exercitus inclamat *Curiatiis*, uti opem ferant fratri. Docuerat iam Alsch. in M legi *curiatios*. Sic etiam B et Magl. habere testatur Riemann. Id vero congruit cum scribendi consuetudine tum Livii tum aliorum: 8, 9, 4 Valerium magna voce inclamat, 10, 4, 8 inclamat alios, quid cessarent, 26, 15, 11 Fulvium Vibellius nomine inclamavit. Iure mireris ne eorum quidem quemquam, qui quasi in nomen Medicei iuraverint, hanc illius scripturam ulla mentione dignam iudicavisse.

Quae ad codicem Mediceum recte aestimandum separatim pertinent, perlustravi; iam suum cuique de eo sit iudicium. Sequitur, ut alios locos ordine persequar, de quibus minus conveniat mea sententia cum iis, quae postremo tempore ab eruditis iudicibus statuta fuerunt. Qua in re eo consilio agam, quod in diss., quae inscribitur Livianor. libr. I. dec. emendandae ratio, p. 20, 21, 28, 29, indicavi.

Praef. 5 *omnis expers curae, quae*, si adesset (nisi eius expers esset), *scribentis animum . . sollicitum efficere posset.* Sic imperfectum, ubi protasis intelligitur, 1, 26, 10 *quod vix Albanorum oculi*, si viderent, *tam deforme spectaculum ferre possent*, 1, 35, 3 *non primus, quod* (si primus essem) *quisquam indignari posset*, 9, 29, 10 *Traditur inde dictu mirabile et quod*, si ita, ut traditur, factum esset, *demovendis statu suo sacris religionem facere posset.* Madvig, postquam primo et tertio loco neglectis codicibus *posset* in *possit* tacite mutavit, quarto talem effinxit protasin (»nisi sciremus casu accidisse», Emend. Liv. ed. 2. pag. 215 n. 2), ut usus imperfecti divinam admonitionem spernentis esset, non Livii religionum cultoris. Verum esse, quod traderetur, Livio non persuasum fuit: non dicit accidisse, nedum casu accidisse. Ex aliis scriptoribus sumpta exempla dedit Ioannes Fridericus Iohanson in diss. de usu modorum in verbis debere, posse, sim. in primariis sententiis condicionalibus, Upsaliae 1868 p. 39 sq.

Praef. 13 *orsis tantum operis, ἡμῖν τοσοῦτον ἔργον ἀρξαμένοις*, optimorum cdd. atque editionis principis scriptura servanda. Cf. 1, 14, 4 tantum roboris esset, 2, 1, 3 tantum gloriae meruit. Collationem supplevit et correxit Riemann: »*tantum* MF Laur. 1., peut-être aussi R (N?); *tanti* mrn», praeterea U ed. 3. *tantum* Bamb.

1, 1 *fuerant* teste Riemanno est in RN, »peut-être aussi M», vel »le Mediceus probablement aussi de 1re main (2e main *fuerunt*)», idem La langue de Tite-Live p. 168. Id equidem non animadverteram; sed quamvis etiam Alschefski solum *fuerunt* ex M tradat (quem secuti fere omnes deinceps editores ad hanc antiquissimarum editionum lectionem redierunt), tamen non dubito quin Riemann oculatior fuerit; dolendum vero quod non idem B Magl. Laur. 3. hoc loco inspexit. Accedit quod FP Bamb. primariam scriptionem non fuerunt, sed *ferunt* exhibent; ceterum P in marg. *fuerant* habet, quae correctio ipsius librarii fuisse mihi visa est, id quod addere debebam. Itaque non cogimur hic illa exempla insolentiora imitari, quae afferunt Weissenborn et Draeger (Hist. Synt. § 130).

1, 3 *Et in quem* in *Ei in quem* mutat Madvig, qui particulam nihil hic loci habere contendit. Quid vero loci hic habeat particula

et, cum commentatores tum Draeger Hist. Synt. § 311 n. 12. docuerunt: re vera ipsum nomen loci, quod mansisset, originis Troianae indicio esse.

1, 4 *Troia* et huic loco nomen est. Sic omnes cdd., etiam edd. ante Gronovium, qui *Troiae* in contextum recepit »ex perpetuo Livii more», ut ait, atque haec addit: »Hoc olim coniectura deprehensum accepimus postea plane scriptum reperiri in membranis optimis Florentinis». Deinde Drakenborch, postquam in cdd., quos noverit, *Troia* esse memoravit, »Auctoritati tamen», inquit, »codicis Florentini (i. e. Medicei), quem Gronovius laudat, cedendum hoc loco existimo, eiusque unius fide *Troiae* servo». Ii quidem errabant de cdd. Florentinis male docti; nullam causam affert Madvig, cur dativum retineat. De dativi in hac locutione usu cf. Draeger Hist. Synt. § 193. H. I. Mueller in ed. 7. Weissenb.

4, 4 *Forte quadam divinitus*. Distinguuntur quidem illa interdum, ut Caes. b. G. 1, 12 sive casu sive consilio deorum immortalium, quare fuerunt qui crederent alterum alteri contrarium esse seiungendum: *Forte quadam an divinitus* Madvig auctoribus Grutero et Merula. Nulla autem nisi imaginaria inest in iis verbis contradictio. Monet iam Gronovius, Fortem ipsam, seu quae fortuita nobis videantur, divinae curae adsignari a veteribus. Occultis causis rerum homines forte fieri putant, quae fato facta sunt sive divinitus acciderunt. Ubi dicit Livius 5, 49, 1 »Nam forte quadam dictator intervenit», si proxime praecedentia (diique et homines prohibuere redemptos vivere Romanos) respicimus, hoc ipsum dicit: forte quadam divinitus. Similiter eo, qui adest, loco haec praecedunt: Sed debebatur fatis tantae origo urbis. Cf. 22, 42, 10 Dii prope ipsi eo die magis distulere quam prohibuere imminentem pestem Romanis; nam forte ita evenit sqq. Neque cum scribit Livius 3, 3, 4 Forte ab Algido Quinctius consul redierat Romam, hoc ullo modo dictum vult, casu fortuito id accidisse, sed contigisse, ut rediret in summa trepidatione Romanorum. Est apud Graecos *θείᾳ τινὶ τύχῃ*. Eurip. Iph. Aul. 351 *ἐξεπλήσσου τῇ τήχῃ τῇ τῶν θεῶν*, Medea 671 *ἄπαιδές ἐσμεν δαίμονός τινος τύχῃ*. Obscura sunt, quae addit Madvig: »Livius, homo in rebus ad religionem pertinentibus cautissimus, affirmare non potuit, hoc divinitus factum esse; vid. modo § 2: seu ita rata seu quia cet». Hoc vero ad Tiberis inundationem non pertinet. Alibi, ut supra ad Praef. 5 monui, contendit Livium, si rem casu accidisse intellectum voluisset, divinitus factum spreturum fuisse.

4, 5 *eluvie* coniectura est Gronoviana, de cuius praestantia nondum mihi satis persuasum est. Pueros in profluentem aquam mit-

tere iussi, velut defuncti regis imperio, in proxima *adluvie* (sic cdd.), i. e. quo proximo loco in praesens natus margo ripae fluctu adluebatur (attingebatur), alveum exposuerunt. Fluitans, sive fluctibus iactatus, dicitur alveus, antequam eum tenuis in sicco aqua destituisset. In profluentem igitur sive adfluentem aquam, ut iussi erant, infantes coniecerunt, non in eam, quae effluxerat, quae super ripas effusa et secreta iam stagnabat, qualis est *eluvies*, ut de sordium in cloacis defluxu Plin. n. h. 2, 82, 84 (terrae motibus oppida) minus quatiuntur crebris ad eluviem cuniculis cavata. Narrat Tacitus (Ann. 13, 57) eluvie maris salem provenire arescente unda.

4, 7 *datos*. Potissimum significandum erat, Larentiae ad educationem pueros traditos; *datos* vero ideo selectum, quod simul ad locum, sive domicilia pastorum, quo, dum ipse foris greges pascit, misit eos Faustulus, apte referretur. Est enim dare nonnumquam ferre vel mittere, ut 22, 7, 5 Romanis in vincula datis, 7, 4, 4 filium in carcerem dedit, 9, 15, 7 quos custodiendos Luceriam dederant, 31, 37, 9 praeceps ad terram datus, 1, 25, 11 Intactum ferro corpus Horatium ferocem in certamen tertium dabat. Quod minus perspicientes multi aut post *ad stabula* vel *latos* vel *delatos* apposuerunt (ed. ster. Tauchn.), deinde suo loco *datos* retinuerunt, aut, quod peius est, hoc remoto *latos* substituerunt (Bekker, Ingerslev).

4, 8 *peragrare saltus*. Cf. Lucr. 2, 355 At mater, virides saltus orbata peragrans ctt. Vaticana codicum familia, Grut. Drak. Crev. alii habent *peragrare circa saltus*. Acceptius erat, quod non offertur, saltus circa peragrare, ut est 30, 9, 2 urbes circa, quae ctt., partim vi subigit, 29, 29, 2 Scipio non agros modo circa vastavit (»das umliegende platte Land«, Klaiber), 9, 15, 1 consilium habitum ... an altero exercitu Apuli circa, gens ctt., temptarentur. Plerumque tamen adverbium illud vi adiectivi inter adiectivum et substantivum locatur. Alius est usus praepositionis: 25, 9, 2 equitibus praecepit, ut discurrerent circa vias, 35, 12, 5 legatos censuit circa reges mittendos, 21, 49, 7 circa civitates missi legati, 1, 9, 2 legatos circa vicinas gentes misit.

5, 5 *aperire noluerat*, cdd. transalpini et recentiores cognati Medicei, item edd. antiquissimae, etiam Mog. In spem sive suspicionem venerat Faustulus regiam stirpem apud se educari, sed quod sperabat vel suspicabatur, intempestive, nisi necessitas aliqua sibi imponeretur, aperire noluerat, aperit tamen Romulo necessitate coactus, cum metueret, ne, nisi id fecisset, Numitor de Remo captivo supplicium sumeret. Inepte diceretur tum voluerat tum noluerat rem per occasionem aperiri, neque vero ab aliis suspicio Faustuli

ipsius aperiri facile potuit. Alia res est Nep. Paus. 5, 5 ex vultu cuiusdam ephori, qui eum admoneri cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Iidem codices, qui hic *aperiri* exhibent, 1, 21, 1 *violari*, quod apertius falsum est, tuentur. Haud aliter ed. Frob. Madvig, ut infinitivum passivum defendat, ad Em. 38 (p. 44 ed. 2.) legentes delegat, ibi vero res diversissimas enumerat, nihil de sensu huius loci memorat.

5, 6 *et aetatem eorum*. Copulam, quae in omnibus cdd. exceptis Florentinis ante similem syllabam, ut fit, excidit, aptissimam esse docuit Gronovis (Ioannem Fridericum intelligo ubi simpliciter dictum est). Permutatus quoque ordo verborum (eorum aetatem) inde ab Aldo obtinuerat.

5, 6 *eodem pervenit* »nempe Numitor ad suspicionem similem spei sive opinioni Faustuli», Duiatius; »eodem, quo Faustulus», Crevier; »eodem, puta, quo iam antea pervenerat suspicione», Kleine. »By all the inquiries he made he came to the conclusion he did before, that they were his grandchildren, so that he was near openly acknowledging them», Prendeville. Corrigere *eo dein pervenit* voluerunt Lipsius, Gebhardus, alii; *eo demum pervenit*, quod sero Crevier Perizonio ansam praebente coniecit, probaverunt Ruperti, Stroth, Lemaire, alii, in quibus Drakenborch, qui itidem pro supplemento haec addidit: »Praeferenda nunc est Crevierii sententia, cum plane, quemadmodum coniecit, invenerim in Flor. et Lov. 3., quorum consulendorum si antea copia facta fuisset, ita etiam edi curassem». Adscripsit enim ea (de Mediceo deceptus) in adnotatione ad 32, 14, 2, ubi de Amynandro, Athamanum rege, Romanorum in Thessalia socio, narrat Livius quae sequuntur: »Inde Gomphos adortus, et post aliquot dies summa vi tuentes urbem, cum iam scalas ad moenia erexisset, eodem metu perpulit ad deditionem». Quo quidem loco coniecturam illam *eo demum metu* receperunt cum alii tum Weissenborn et Madvig. Hoc igitur narratum erat: Per aliquot dies Gomphenses iam summa vi urbem defenderant, cum scalae ad moenia erectae sunt, qua denique re perterriti se dediderunt, vel, ut ait Perizonius, »metu, quem fecerant denique erectae iam scalae, ante quas erectas nulla alia res tantum illis metum incutere poterat, ut deditionem facerent». Qua quidem in re, sive *eo demum* sive *eo denique* aptius est, certe *eodem* ferri non potest, ac vix magis hoc ipsum eo loco, a quo orsi sumus. Primum enim dicitur Faustulus ratione temporis habita, quo infantes sustulisset, regiam esse stirpem suspicatus esse, deinde forte et Numitor ratione temporis habita, quo nati essent, in eandem opinionem venisse: hoc igitur pariter utrique acci-

derat (id quod *et*, i. e. etiam, satis indicat, nec amplius addito *eodem* indicare opus erat): tum vero ulterius Numitor sciscitando conatus esse narratur certiorem rei cognitionem consequi eoque denique pervenisse, ut non multum abesset, quin Remum agnosceret. Sic opinio ei quodammodo confirmata est. Ne studebat quidem Faustulus, ut id assequeretur. Nec pari modo operam dabant nec ad eundem gradum cognitionis pervenerunt. De solo autem Numitore ob eam causam *eodem pervenit* (sc. quo comparando aetatem eorum et indolem ipse pervenerat) non bene dicitur, quod sciscitando non in eandem, quae verbis illis *tetigerat animum* cett. inest, spem incertam recidit, sed ad auctiorem quandam notitiam adductus est. Non possum igitur quin Strothio et Doeringio adsentiar *eodem* istud »ineptam lectionem» appellantibus. Revertamur igitur ad coniecturam illam Crevierii, nisi quid aliud animo occurrat. Mihi quidem satis idoneum *eo denique* videtur; cupierat enim Numitor certiorem cognitionem sibi comparare, sciscitandoque hoc denique, ut eam consequeretur, ei contigit. At istam emendationem cum codicibus minus convenire dixerit quispiam. Ad quem scrupulum aliqua ex parte tollendum satis fortasse erit monuisse, ubi in cdd. est 1, 59, 1 quacumque *dehinc* vi possim, Madvigium quacumque *denique* vi possim scribere non dubitavisse, aliosque eum secutos esse. Itaque apparet multos in eam opinionem incidisse, haec verba: eodem, eo dein vel dehinc, denique, inter se mutari potuisse. Quarum permutationum ratio digna est, quae pluribus exemplis exploretur.

7, 7 *morte occubuit* cdd. edd. Madvig vero *mortem* scripsit hoc solum pro ratione mutationis afferens: »Wesenberg ad Cic. Tusc. 1, 102»; ad quem locum refert Kuehner — nam Wesenbergii librum non vidi — scripturam alteram *morte occumbere* ibi optimorum codd. auctoritate niti atque in multis edd. vett. esse, Wesenbergium autem, quia in quibusdam Tusculanarum disp. codicibus nota litterae m saepius omissa sit, pari modo hoc ipso loco Liviano m finale excidisse putare. Fallitur vir doctissimus de codd. Livianis, in quibus contrarium prorsus vitium vulgare est, addita ea nota accusativos falsos fingi, quam ipsam causam esse suspicor, cur et 26, 25, 14 et 31, 18, 6 et 38, 58, 6 usus accusativi codicum consensu niti videatur. Sunt vero et loci, ubi codices aliud suadeant. Gravissimum est testimonium Puteanei 29, 18, 6 ignobili atque inhonesta morte occubuit, quod fideliter tenent editores, ut etiam eo loco, de quo nunc ipsum quaestio est, omnes praeter Madvigium codicibus convenienter *morte occubuit* scribunt. Praeterea commemoranda sunt 3, 50, 8 morte occubuisse MP, 8, 10, 4 morte occubantis MCFP, morte occumbentis

RD, 2, 7, 8 morte occubuissent LE aliique. Et ablativus et dativus, qui est apud poetas (certae occumbere morti Virg. Aen. 2, 62), cum vi verbi intransitivi optime conveniunt.

8, 5 *adiiciendae multitudinis causa*, i. e. ut novam hominum multitudinem adderet ei, quae iam erat. Id Romulo curae erat, ut pro ambitu urbis civium quoque numerus auctior esset. Quid spectaverit, indicatur, non qua arte id quod cupiebat fuerit adsecuturus. Mutato, ut fit, altero i in l (duo i scripta fuisse hic quoque apparet) *adliciendae* (vel allic.) mansit in paucis cdd. et edd. Cf. diss. mea De mendis codicum Caesaris p. 42.

9, 5 *a plerisque* ctt., quod perparva codicum auctoritate nititur, editores longe plurimi ducente Asulano tuentur, paucissimi, in quibus Muehlmann, M. Mueller et Weissenborn usque ad sextam editionem, id quod cdd. optimi summa constantia praebent, *ac plerisque*, retinuerunt. Quod si ab initio *a* fuisset, non credibile est futurum fuisse, ut in *ac* mutaretur, quare ea scriptio nisi necessitate cogente non est relinquenda. Equidem id profecto non esse necessarium putaverim. Nusquam benigne legati Romuli auditi sunt spernentibus finitimis novam urbem, atque ita dimissi a plerisque eorum, quos adierant, ut rogitarent, ecquod et feminis asylum aperuissent; qua cavillatione indignatio nonnullarum gentium vicinarum malevolentior coarguitur: alienati a Romanis omnium quidem erant finitimorum animi, ista autem iniquitas haud raro in verborum contumelias effundebatur. Aptissima autem est particula copulativa ubi subsequitur explicatio atque uberior expositio prioris sententiae. Cf. Liv. 22, 6, 12. Caes. 7, 50, 6. Sall. Iug. 92, 4.

9, 6 *Consualia vocat.* Non solum ob eam causam, quod in M deest illud verbum vocandi, sed etiam quoniam Vaticani pro eo *uacat* habent, quod verbum lacunas vulgo significans facile in *vocat* abiit, hoc ipsum suspectum fit. E suo more magis scribere debuit Livius *Consualia appellata*, cf. 29, 14, 14. 36, 36, 4. Protulerunt exempla Gronovius et Drakenborch, in quibus appellandi vox tota abesset, sed huius parum similia ea sunt. Nihil de hac re pro certo statui posse videtur.

9, 7 *concelebrant — facerent* in concelebrat — faceret mutavit Madvig, et Weissenbornium de subiecto verborum praecedentium admonentem insimulat id facere, »ut aliquid contra dicat« (Em. Liv. ed. 2. p. 48 n. 1). Terrent talia, sed quod verum videatur celare non oportet. »Haec postrema verba«, inquit, »neque de Romulo intellegi possunt (neque enim aut hoc aut quidquam aliud illo tempore populi consiliis et decretis actum Livius significat aut usquam sic ad

populum civesque a Romulo transit) neque de peregrinis» ctt. »Totum hoc ad Romuli artem et consilium pertinere apparet». Vel si nihil illo tempore populi consiliis et decretis actum Livius significet aut usquam sic ad populum civesque a Romulo transeat, tamen meo iure negare mihi videor totum hoc ad Romuli artem et consilium pertinuisse. Vehementer pugnat illud cum tota narratione Liviana, quod quidem Weissenbornium non fugit. Cum nec domi spes prolis esset hominibus Romanis nec cum finitimis connubia, ex consilio patrum Romulus legatos misit, qui societatem connubiumque novo populo peterent. Quod fastidiosum hi tulerunt responsum animos praesertim iuvenum Romanorum graviter commovebat: § 6 Aegre id Romana pubes passa, et haud dubie ad vim spectare res coepit. Nihilo minus in illa sententia persistit clarissimus vir, neque senatum, quem ipsum consuluisset Romulus, neque iuventutem Romanam, quae responsum insolens aegerrime tulisset, ludos sive spectaculum a rege indictum, quanto apparatu tum scirent aut possent, concelebrasse, ut rem claram exspectatamque facerent, sed Romulum unum. »Celebrare et concelebrare rem», inquit denique, »apud Livium non solum ipsa multitudo dicitur, quae convenit, sed etiam, qui rem celebritati et contrahendis hominibus aptam instituit, velut 8, 10, 10 funus P. Decio factum dicitur celebrante collega et similia alibi». Itaque celebrante est celebrari iubente (»seine Leichenfeier wurde glänzend auf seines Amtsgenossen Veranstaltung»). Id vero non verbi celebrandi et similium proprium est, ut aliquis facere dicatur, quod fieri (alios facere) iubet; neque tamen hic ita dici poterat: quantoque apparatu tum sciebant aut poterant concelebrari iubet. Dicitur de communi omnium studio ludorum magno apparatu concelebrandorum, ac nimirum id iuvenum inprimis intererat, ut omnem operam ad id conferrent, ut spectaculum illud illustre facerent. Cf. 8, 7, 22 quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest.

9, 11 *excellentes* in M abiit in *excellente sunt* quo errore deceptus Gronovius excremente illo omisso *forma excellente* scribebat, quae levitas sequentibus multis fraudi fuit.

9, 13 *violati hospitii foedus* non parvam adfert interpretandi difficultatem. Est quidem hospitii *foedus* idem ac sancta fides sive iura hospitii (cf. 29, 24, 3), quia invitati hospitaliter per domos fuerant; sed quod participii casum ad proximum substantivum accommodatum vulgarem illam esse aiunt enallagen adiectivi, magnopere vereor, ne modum excedant. Exempla Liviana complura affert Kuehnast (Synt. p. 290), quae ita fere comparata sunt, ut vix quidquam differat, ad utrum substantivum referatur adiectivum. Sic 21, 10, 12

sollicitare quietae civitatis statum idem valet ac soll. quietum civ. statum. Sed aliter se res habet, cum adest participium perf. pass., quod substantivi verbalis abstracti vel totius enuntiati vice fungatur, quem ad modum loci praesentis is sensus est, moestos parentes incusavisse violationem foederis hospitii, sive quod foedus hospitii violatum esset, i. e. violatum hospitii foedus. E contrario violati hospitii foedus quid aliud est nisi foedus violationis hospitii sive de violatione hospitii initum? Quo ineptius nihil cogitari potest. Codicum vero auctoritas in tali re, ubi identidem delinquant, valde mediocris est. In plane simili re 1, 4, 4 nec adiri usquam ad *iustum* cursum poterat amnis RD, *iusti* MFP, quod iam in primis edd. restitutum est. Habet cod. Puteaneus 28, 33, 16 ad partem pugnae *capessendae* (pro capessendam), 28, 43, 1 auctoritate et *inveteratae* prudentiae fama (pro inveterata). 30, 32, 2 cdd. sic habent: par periculum praemio, quibus *adversae* pugnae fortuna fuisset; ubi *adversa* legendum esse coniecit Iac. Perizonius, quam coniecturam, postquam altero iam saeculo neglecta iacuit, ultimo denique tempore editores ut unam veram amplexi sunt (nam dicit Livius ut *secunda* sic *adversa* pugnae fortuna, 25, 40, 13. 9, 18, 12). Idem ille Perizonius hoc loco, in quo versamur, legendum coniecit *violatum* hospitii foedus, quam emendationem graviter commendat Ioh. Freudenberg, Observationes Livianae, progr. Bonn. 1862.

11, 8 *Additur fabula* ad id, quod a Livio pro vero ponitur, simpliciter auro corruptam esse Tarpeiam (cf. § 4 Arcem scelere emptam Sabini habent). Quod autem is ut fabulam additam tradit, ambagibus simul usam esse illam, id sine ulla variatione continetur narratione Valerii Maximi 9, 6, 1, quo auctore fretus Gruterus »Restitui«, inquit, »lectionem omnium membranarum, omnium retro editionum: nam Sigonius, dum auscultat Glareano, invexerat *fabula*; male uterque«. Expulsum tali ratione nominativum suo iure revocarunt Gronovii, Crevier, Madvig, alii. Addere dativum regere volebant librarii, quorum multi 1, 33, 2 Additi *eidem* scripserunt, quod usque ad Gronovium mansit in editionibus.

12, 3 *fusaque est ad veterem portam Palatii.* In proelio Romuli et Tatii ad clivum Capitolinum commisso singuli utrimque *πρόμαχοι* avide se certamini primi obtulerunt: ab Romanis Hostilius pugnam ciebat, rem Romanam iniquo loco sustinebat, donec pugnans cecidit. Quo facto fuso exercitu Romulus et ipse, quamvis turba fugientium actus esset, officio suo prompto animo functus est: et ipse pugnam ciebat remque Romanum sustinebat, eo quod multa Iovem precatus, velut si sensisset auditas preces, »Hinc«, inquit,

»Iuppiter o. m. resistere atque iterare pugnam iubet». Non id sane narrandum erat, quo loco eas preces misisset, quippe qui verbis illis *hic in Palatio* in ipsa precatione perscripta usus esset; neque ullo modo, ut summopere contendit Madvig, in hunc modum sententiae sunt separandae: »fusaque est. Ad veterem portam Palatii Romulus et ipse... Iuppiter.. inquit» ctt., quasi in verbis locum, quo Romuli exercitusque fuga constitisset, indicantibus omne pondus ponendum esset; quod praeterea impedimento erit, quominus addito *et ipse* ex lege sermonis idem fere de Romulo atque de Hostilio praedicetur. Doctissimus vir respondebit, verbum illud *fusa est* loci significationem respuere: »neque enim fundi ad portam est fusum alibi fugere ad portam». Monuit tamen Weissenborn iam 2, 49, 12 *Ita fusi retro ad saxa Rubra* occurrere. Quo modo constat etiam effundi in usu esse. Praecedit dictum *Romana inclinatur acies* in fugam; post quod paene inutile esset *fusa est*, si nudum adderetur. Id quoque monuit Weissenb., narrare Dionysium Mettium Curtium hostes fusos fugatosque persecutum usque ad portam egisse, ac similiter Plutarchum Sabinis cessisse Romanos et in fuga ad Palatinum redisse campo expulsos.

12, 6 *quod monumentum sit posteris.* Pro dativo finali in simili re satis frequens apud Livium est nominativus praedicativus vel ut appositio totius enuntiati: 1, 45, 4 cornua monumentum ei fuere miraculo, 6, 20, 12 locus et gloriae monumentum et poenae fuit, 1, 13, 5 Monumentum pugnae Curtium lacum appellarunt (appositio), 1, 55, 1 ut Iovis templum monumentum regni sui relinqueret (acc.), 28, 39, 17 restitutum Saguntum fidei socialis servatae documentum omnibus gentibus fore, 9, 46, 8 documentum sit adversus superbiam nobilium plebeiae libertatis, 1, 52, 4 Turnus sui cuique periculi recens erat documentum, 21, 19, 10 Hispanis populis sicut lugubre ita insigne documentum Sagunti ruinae erunt, 3, 55, 9 aedilem prendi argumentum esse non haberi pro sacrosancto, 34, 50, 6 multitudinis eorum argumentum sit, quod ctt., 4, 37, 9 Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset, 3, 38, 3 spem in discordia Romana ponentes: eam impedimentum dilectui fore, 22, 22, 7 id agebat, ut quam maximum emolumentum novis sociis esset, 1, 56, 9 Is ductus Delphos, ludibrium verius quam comes (appositio), 21, 13, 3 Vestra causa me loqui, vel ea fides sit, quod ctt.

Eo denique, qui nobis adest, loco, quod in cdd. est atque in prioribus omnibus edd. fuerat, *monumentum* reiectum est ab Alschefskio praelatumque *monumento*, etsi id in P tantum visum erat, sed a librario ipso correctum (vid. pag. 19), quae nova lectio servatur a Madvigio.

13, 5 *equus Curtium.* Optimorum codicum alios *equos curtius* alios *eques curtius* (falsa nominis accommodatione in P equos curtios) habere aut habuisse certissimum est (*equū* m in rasura, non M, ut perhibet Alsch.), *eques Curtius* edd. 1. 3. 4. 5. 6. 8. 9., *equum Curtius* ed. 2. cum quibusdam cdd. mixtis, *eques Curtium* ed. 7. Sab. Quod monet Gebhardus, »vetusta scriptura *equos* valet equus», id Sabellicus etiam in *eques* valere voluit. Itaque is primus verum intellexit, quamquam (ut postea Carbach) veteri voce poetis tributa uti se posse putabat. Curtius enim lacus appellatus est non quo equum ibi Curtius salvum stitisset, sed quia ipse equo vectus ex aqua sospes et incolumis evaserat. Tamen depravatam scripturam *equum Curtius* patrocinati sunt Asulanus, Rhenanus atque inprimis Sigonius, donec tandem auctoribus Glareano, Robortello, Lipsio vicit scriptura *equus Curtium*, non quidem in perpetuum, nam Hertz et in primis editionibus Weissenborn denuo in mendosam illam reverterunt.

14, 7 *locis circa densa obsita virgulta obscuris* firma est codicum scriptura eaque sic, nisi fallor, interpretanda: partem militum Romulus subsidere iussit locis obscuris, et quidem in virgultis dense obsitis, quae circa erant. Inseruntur igitur inter ablativos illos *locis obscuris* aliquot verba, quibus loci natura militumque in insidiis collocatio accuratius describitur. »circa obsita virgulta» non ita intelligendum est, ut circum ista virgulta versarentur, sed ut in virgultis circum crescentibus (obnatis) occulti morarentur; qui praegnans usus praepositionis (= circum in, circum ad) apud Livium satis frequens est, velut 9, 25, 2 coniurationes circa Campaniam passim factae, 25, 9, 2 equitibus praecepit, ut discurrerent circa vias, 1, 9, 2 legatos circa vicinas gentes misit. Neque magis usus adiectivi (densa) pro adverbio insolitus est: ut 2, 35, 3 infestior coorta optimatium acies, 1, 54, 6 inambulans tacitus. Difficultatis aliquid habet *obsita;* est enim aliud 21, 54, 1 rivus obsitus virgultis, 28, 2, 1 obsiti virgultis colles; at obsita virgulta tum demum probabile sit, si dicatur obserere virgulta: obseri autem id, quod seritur, nusquam dictum est nisi translate a Plauto: istic oportet obseri mores malos (Trin. 530). Cognatum vero verbum conserere, quod plerumque cum accusativo loci iungitur, ut agrum, vineam conserere, inde passive in participio pariter atque obsitus in usu est: Sall. Iug. 53 ager arbustis consitus, Curt. 10, 2, 14 insula palmis frequentibus consita, item accusativum habet rei, quae seritur aut omnino crescit, ut 10, 24, 5 arborem conserere, et saepissime part. perf. pass., velut Curt. 6, 16, 14 arbores densae consitae. Ad hanc ipsam similitudinem Livius, ubi

exspectandum erat virgulta densa *consita*, ob eam fortasse causam *obsita* delegit, ut intelligerentur eadem prospectum impedientia. Et est in cod. Voss. secundo dupliciter scriptum *opposita obsita*, ubi est »insiticia vox sequentis *obsita* glossa atque interpretatio». Cf. 23, 19, 11 obnata ripis salicta.

Quadringentos fere annos codicum scriptura integra retenta est ab editoribus, nisi quod propter perspicuitatem Carbach verba illa »circa densa obsita virgulta», quae etiam Glareanus »velut in parenthesi posita» habebat, parenthesi distinxit, quamquam complures, in quibus Gronovius et Heinsius, coniecturas suas suggesserunt. Extremo denique tempore tum Hertz tum in novissimis edd. Weissenborn contextum suo uterque modo mutavit; H. I. Mueller *obsita* uncis inclusit, quod ex interpretatione in margine appositum in textum migrasse putaverat Doering. Coniecturas inter se discrepantes enumerare longum est et inutile. Nullam mutationem aut poscere aut recipere scripturam illam antiquam arbitratur Madvig, qui circa densa obsita virgulta Germanice sic reddit: in dem über das Terrain zerstreuten Gebüsch umher. Itaque *obsita* ille sparsa vel dispersa interpretatur, quod et a vi verbi alienum est et adiectivo iuxta posito plane contrarium. Quid enim esse virgulta densa sparsa vel dense sparsa? Hanc vero contradictionem in adiecto sitam excluso in interpretatione altero verbo opportune sustulit.

14, 9 *equites erant* lectio fuit vulgata inde ab ed. 2. usque ad Gronovium, a quo remota tandem rursus revocata est ab Alschefskio, Giovenazzio, Ingerslevio, Herm. Muellero. Atque in easdem syllabas *erant* exit universa codicum scriptura in reliquis verbis varians, sed quomodo ante eas recte scribatur, ea magna quaestio est. Haec est enim communis lectio antiquiorum cisalpini generis codicum: *quique cum equis abierant uisierant* (*usi erant* M). Qua in scriptura duplex cernitur dittographia; nam primum *quique cum* ex praecedentibus sunt repetita, deinde *abierant* initio supra versum scriptum fuisse suspicor ad interpretandum monstruosum illud verbum conflatum *uisierant*, atque ita denique in versum immigrasse, ut salvum praecederet *equis*, quamvis ita diremptum fuisset, ut litterae sive syllaba *uis* et verbum *ierant* coalescerent; quemadmodum saepius glossae interruptis verbis inculcabantur. Ceterum omnino monendum est, in cdd. terminos syllabarum valde incertos esse, et ad libitum aliter ab aliis librariis verba divisa, haud raro uno tenore scripta, quare ista vel divisio vel coniunctio nihil per se valet ad rem constituendam.

In transalpinis cdd. nulla est dittographia, sed plenior quaedam scriptura in optimis conspicua paulatim in hunc modum decrescit:

equis ierant F Bamb. p, *quisierant* P (ut unum verumque verbum), *uis ierant* (uisierant, uisi erant) U Helmst. Harl. I. Einsiedl. Si copulantur haec cum iis, quae praegressa esse constat, hanc faciem in coartata scriptura F Bamb. praebuerunt: *quiquecumeoequisierant*, atque in uncialibus litteris EOEQUIS, quod EOEOUIS esse videbatur, omissione similium litterarum in EOUIS (aut una littera omissa EOQUIS) abiit, cf. Liv. libr. I. dec. emendandi ratio p. 19. Sic explicari potest scriptura codicis U aliorumque transalpinorum, quibus vulgo minus confidimus. Horum autem ipsorum scriptura Madvigio v. cl. unice vera visa est. Scripturae autem illius *equis ierant* primam hanc fuisse formam »quique cum equis« apparere contendit ex ML, quibus RD congruere iam constat. M *usi erant* habere nescit (quocum cohaeret in A *ubi* erant). Hos autem, ut scripturam coartatam iterum effingamus, mutationis gradus cogitavisse videtur: 1) *quiquecumeouisierant*, 2) *quiquecumequisierant* (»littera *q* pro *u* scripta et ceteris male divisis«), 3) *quiquecumeoquiquecumequisierant* (adscriptis verbis semel mutatione unius litterae perditis), 4) *quiquecumeoquiquecumequisabierantuisierant* (»ut fugae significatio esset, pro *ierant* scriptum *abierant*«). Qua in re monendum est, si, quod mutatione facta tali modo exstiterit, lectum sit *ierant* et pro eo substitutum *abierant*, nullam causam fuisse praeterea *uisi erant*, quod ita non adfuisset legenti, adiiciendi. Neque tum facile perspicitur, quomodo factum sit, ut, si transalpini semel veram scripturam (visi erant) nacti essent, ea in optimo quoque illius generis depravaretur, et quidem in *equis ierant* verteretur, salva permaneret in reliquis. De cdd. vero multa Madvigio aut non cognita aut falso tradita fuerunt. Quam tandem assecutus est scripturam, eam, si recte enarretur, aptissimam esse putat: »Significantur equites, qui se initio cum Romulo oculis Fidenatium soli obtulerant, portae obequitantes, magis quam vere pugnaverant«. Haec vero in narratione Livii sunt: Romulus omnem equitatum et peditum partem maiorem (§ 7) ad urbem admovit, hoste excito equestri pugna per speciem commissa pedes quoque retulit gradum, plenis repente portis effusi hostes impulsa Romana acie fuga simulata cedentes Romanos acriter insecuti sunt. Adeo et equites et pedites Romulo duce cum Fidenatibus prope portas pugnaverant, etsi simulata pugna. Postquam vero haec omnia enarrata sunt, in eo, qui tum exceperat, rerum statu dici non poterant circumegisse frenis equos Romulus quique cum eo v i s i erant, idque hoc sensu: »qui se initio cum Romulo oculis Fidenatium soli obtulerant portis obequitantes«. In tumultuoso et minaci genere pugnae pedites et ipsos quam primum in conspectum se dare e re erat. Nihil ad hunc

locum pertinent alii, quos refert Madvig, in quibus de hostibus procul visis mentio fit. Itaque in U ceterisque eius similibus hoc etiam loco deteriorem scripturam retentam esse ipsum verbum *visi erant* a narratione Livii prorsus alienum documento est.

Weissenborn in primis edd. *equis abierant* dedit, in novissimis *abire visi erant;* utrumque falsum esse examinatis codicibus apparet. Quid igitur faciendum? Iam docui in optimis transalpinis esse *equis ierant*, atque etiam in dittographia cisalpinorum antiquorum et *equis* et, si modo *i* cum sequentibus iungatur, *ierant* legi. Hanc ipsam scripturam — *equis ierant* inquam — commendatam a Nannio primus in contextum recepit Gronovius, deinceps ut vulgatam retinebant Drakenborch, Crevier, ed. Bipontina, Ruperti, Stroth, Doering, Lemaire, Kreyssig, Twiss, Hertz, alii. Leviter tamen reprehenderat iam Gebhard: »Si interius consideretur, non videtur legitima«. Ut pedibus sic equo vel equis ire recte Latine dici exemplis probavi (Liv. libr. emendandi ratio p. 19), quibuscum alia conferri possunt, ut Ov. Her. 1, 46 Dictus es Ismariis isse per agmen equis, Liv. 28, 9, 15 iret alter consul sublimis curru, Hor. Epod. 1, 1 Ibis Liburnis. Confitetur quidem Madvig Latinam illam esse locutionem, sed equis ire, inquit, »ipsum motus genus significat«, idque ab hac commemoratione fugae nuper simulatae prorsus alienum esse existimat. Nonne tamen ipsum motus genus hic apte significatur? Celeriore enim motus genere usi cedentes longius provecti erant quam ii, qui pedibus refugerant, atque ob eam causam vix in Fidenates priusquam multiplici terrore perculsi profligati essent obverti potuerunt.

Supra ostendi et ante Gronovium vulgatam lectionem *equites erant* fuisse et a nonnullis post Alsch. illam retentam esse. Quae quidem scriptio id boni habet, ut vix quemquam offendat, eoque valde tolerabilis est, sed id mali eadem, ut vera esse non possit. Nam si ita ab initio scriptum fuisset, omnis ista varietas exsistere non potuisset, nec dominatur illa scriptura nisi in codicibus, qui parvae per se fidei sint.

15, 4 *nulla arte* quamvis praeclara sit coniectura Nannii, quam Gruterus primus in ordinem recepit, tamen non est oblivioni dandum, quod addit idem: »Exemplaria scripta omnia propugnant illud *parte*. Gifannus inde fingebat *ab arte*. dextere«. Certe nulla ab arte facilius in nulla parte mutatum est, quam sine causa aliqua singulari p interpositum. Cf. Cic. n. d. 2, 54, 134 quae confectio (dentium confectio escarum) etiam a lingua adiuvari videtur.

16, 8 *quantum illi..fides fuerit* eandem vim habet atque active enuntiatum quantopere illi fisi sint, ita ut fides fuerit pro passiva

forma verbi fidere habendum sit, quemadmodum interdum passivum vario modo invenitur, ut 35, 19, 6 Odi odioque sum Romanis. Nulla igitur hic opus est coniectura.

17, 1 *ad singulos*, quae Graevii coniectura est, sufficit ad hunc locum sanandum; namque in reliquis certa est codicum MFPU auctoritas. Coniecturam Weissenbornii in extremis edd. exhibitam, *necdum a singulis —, per vim aut factionibus, inter ordines certabatur*, quam Draeger (Hist. Synt. II. § 360) aequi boni facit, in ed. 7. merito removit Mueller.

17, 8 *retinerent*, a Gronovio importatum, quem sequitur Crevier, reiecerunt aut distulerunt Drakenborch aliique, in alteram editionem recepit Madvig (quod in Collatione perficienda non animadverteram), in septimam Weissenbornianam Mueller. In codicibus autem atque edd. ante Gronovium est *detinerent*, i. e. plebi prohiberent sibique reservatum tenerent. Hoc, quod significantius graviusque est, magis trito usitatoque alteri (ret.) cedere saepius voluerunt et scribae et editores. 36, 39, 7 qui iam tertium annum ibi dubio detineretur bello (retineretur edd. ante Aldum). 8, 38, 6 Eques carpendo novissimos .. agmen detinuit (ret. cod. Haverc.). 40, 42, 4 cives Romanos dici Corcyrae retineri (detineri Iac. Perizonius). 1, 30, 5 suos prius in lucum confugisse ac Romae retentos (detentos fragm. Haverc.). Periocha ex lib. III. magistratum noluerunt deponere et in tertium annum retinuerunt (detin. Giovenazzi aliique). Cic. n. d. 2, 47, 121 nihil ad vitam retinendam non necessarium, Klotz (detinendam, Baiter et Kayser), Suet. Claud. 15 pede apprehenso retinerent, Graevius (detin., Bremi, Roth), Val. Max. 1, 7 ext. 4 domi retentus est, Kempf, Halm (detentus est ed. Ald. 1534. »Variant mss. et editi. detentus est invenio in aliquot utriusque generis», Abr. Torrenius). Apparet omnino retinere pro altero facilius scriptum esse. Quo minus hoc loco, de quo quaestio est, suspectum sit detinerent.

18, 3 *quae fama in Sabinos?* Ex sequente excivisset, quod item de fama dicitur, supplendum pervenisset, perlata esset, vel aliud aliquod verbum movendi. Cf. 40, 57, 3 Haud procul Amphipoli fama, inde certi nuntii occurrerunt, mortuum esse regem (Intellige fama allata est; quod ex occurrerunt sumendum est). Sententia haec est: quae fama Pythagorae ex terra tam longinqua in Sabinos adque Numam penetrare potuit? Sigonius, Gronovius, Walchius, alii ad coniecturam *qua fama* (quam tuetur Madvig) confugerunt, quae maiorem molestiam adfert.

18, 8 *quoad* Weissenbornii est coniectura a recentioribus plerisque (etiam Heerwageno) probata collato loco 2, 25, 4 fugientibus,

quoad insequi pedes potuit, terga caesa. *quo* B Laur. 3. p edd. 3. 8. Mog. Gron. (»ex adverso id, quo longissime prospectus datur«), Drak., Crev., Stroth, Madv. *quod*, scriptura codicum praevalida, edd. 1. 2. Ald. Frob. Grut. At pari modo 1, 52, 2 foedere teneantur, *quod* ctt. MLPU, necessario in *quo* correctum ab edd.

20, 7 *curarentur*. »Prodigiorum procurationes millies legi; curationes, quod meminerim, numquam. Itaque videndum ne scripserit procurarentur«, Gronovius. »Procurarentur fortasse scripserat Livius«, Crevier. »Cum nusquam alibi, quod sciam, dicatur prodigia curare, sed semper procurare, equidem in cdd. h. l. erratum putaverim«, Ingerslev. Quod hi voluerunt, in textum recepit Wimmercranz. Iam vero permultis exemplis docuerunt Kuehnast (Liv. Synt. p. 332) et Draeger (Hist. Synt. I. § 85) Livium omnino verbis simplicibus interdum uti pro compositis. Quam consuetudinem latius patere monuit Riemann, Études sur la langue de Tite-Live p. 149 sqq.

21, 1 *pro anxio*, quod divinando in ed. altera leviter tetigerat Madvig, primus in usum convertit Hermannus I. Mueller. Ex eo, quod est in cdd., *proximo*, nulla alia sententia elici posse videtur nisi haec: ea pietate omnium pectora imbuerat Numa, ut fides ac iusiurandum, proximum (non parem vel summum) locum obtinente legum ac poenarum metu, civitatem regerent; adeo regerent illa quidem civitatem, tamen ita, ut his in regendo proxime accederet legum ac poenaram metus. Sic Livium non locutum esse iam veteres senserunt, qui *propulso* supponerent. »Quod tametsi inquinatius videtur, affinius tamen veritati, quam illud superius: nimirum religionem successisse in vicem metus legum ac poenarum« (Nannius). Quae sententia frequentior est in antiquorum libris, velut Ov. Fast. 1, 251 Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat, Met. 1, 90 Aurea aetas sine lege fidem rectumque colebat. Tac. Ann. 3, 26 Vetustissimi mortalium . . sine poena aut coercitionibus agebant . . nihil per metum vetabantur. Contraria atque perversa est, quam dat coniectura Mureti *proxime legum ac poenarum metum*, quae Gronovio, Drakenborchio, Crevierio inprimis placuit. Felix praedicatur a scriptore status civitatis, ubi fides ac iusiurandum legum ac poenarum metui successerit. Hanc sententiam redditam voluit Madvig coniectura *pro obnoxio legum ac p. metu*. Ac dicit quidem Livius, Rhodios dignitate atque opibus excellere; quae serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos respectus (42, 46, 4 eodem sensu, quo 37, 54, 6 reges serva omnia et subiecta imperio suo esse velint); hostem devictum centum annorum pace obnoxia tenere (6, 28, 7, cf. 9, 10, 4 emersisse civitatem ex obnoxia pace, i. e. iniqua, ut vin-

centis arbitrio circumscripta); obnoxios summiserant animos (6, 34, 3, i. e. ita ut creditorum arbitrio obnoxii fierent). Vix autem bene dicitur obnoxius metus, quasi sit metus aliorum imperio arbitrioque subiectus. Anxius vero cum similibus substantivis iungitur vimque activam habet vel proprie: dolorem efficiens, ut Plin. n. h. 12, 8, 18 spina accessu propter aculeos anxio, vel translate: sollicitans, discrucians, inquietum tenens, ut anxiae curae Liv. 1, 56, 4, anxius timor Virg. Aen. 9, 89, aegritudines anxiae Cic. Tusc. 4, 15, Tityos quem volucres lacerant atque exest anxius angor Lucr. 3, 991 (qui est notissimus pleonasmus). Ac si, utra ex origine depravatio manifesta facilius orta sit, quaeritur, plurium litterarum mutatione ideoque minus facile »pro obnoxio» quam »pro anxio» vertit in »proximo».

21, 4 *Fidei.* Habent cdd. *soli fidei sollemne*, quod inde ab ed. 1. tenaciter servaverunt critici (saltem primum istud uncis incluserunt), quamvis *soli* vocem ascititiam esse intellexerint Sigonius, Rycquius, Crevier, Stroth, alii. Prima enim syllaba sequentis *sollemne*, quod praepropere scribi coeptum erat, manca derelicta isto modo ad sequens *fidei* accommodata est. Cf. 3, 7 ab eo ali coloni*e* aliquo M, unde aliquot coloniae ortum est. Vid. infra ad 54, 5 Gabiis posset.

22, 2 *quam Romulus*, quod olim ad fidem codicum ultimum exhibitum fuerat in ed. Mog., post trecentos annos in ius suum restitutum est ab Alsch. Asulanus ex cisalpinis vulgaribus sumpsit *Romulo*, quod hodieque in tritissimo exemplo lectitatur in grammaticis Latinis.

22, 5 *comiter* omnibus temporibus lectum fuit, antequam Hertz *comi fronte* scripsit, quem secuti sunt Madvig atque in ed. 6. Weissenb. Est enim in cdd. duplex scriptura *comi fronte comiter*, de qua Gebhardus, »Si quis me roget», inquit, »quid sentiam, ei respondeam, duas istas voculas *comi fronte* esse irreptitias glossas». Mos autem fuit antiquus aut in margine aut inter versus verba apponere modo ad argumentum monstrandum modo interpretandi causa, quamobrem non mirum, si hic ad narrationem de legatis a Tullo »blande ac benigne» exceptis vere atque argute iuxta adnotatum fuerit »fraus», idque si orationi Livianae vocique comiter admixtum vel in »comi fronte» vel in »comi fraterniter» abierit. Tristi, maesta, laeta fronte facere aliquid poetarum fuit loquendi ratio, non Livii, qui eo vocabulo usus est de exercitu tantum et munimentis. At ipsum illud comiter minus placet nonnullis: esse enim comitatem aiunt eorum, qui superiores sunt et submittant se in amicitia inprimis erga eos, quos hospitio excipiant. Sic autem ne arctius definiatur, vereor.

1, 57, 10 Tarquinius Collatinus comiter invitat regios iuvenes (pares magis quam inferiores), 42, 1, 10 Magistratus privata hospitia habebant, ea benigne comiterque colebant (ubi hospitio ipsi fruebantur), 5, 13, 7 cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos (a paribus cum paribus), Cic. Deiot. 7, 19 Cum in convivio comiter et iucunde fuisses (de Caesare apud regem Deiotarum hospitante), Curt. 8, 16, 23 (Oxyartes satrapes, qui potestati Alexandri se permiserat) multa comitate celebravit convivium (quo regem accipiebat); ibm 8, 22, 14 (in narratione de Alexandro coniuratione adversus eum facta cum suis convivante haec verba sunt:) Sed fortuna ipsius simulque epulantium comitas provexit omnes ad largius vinum, Plin. Ep. 8, 21, 1 pulcherrimum existimo severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam excedat. Est igitur comitas atque affabilitas submisse se gerentium, sed etiam hilaritas praesertim convivarum, quae affectio animi facile in petulantiam procedit.

In nonnullis cdd. (PU Harl. I. TQ) comi fronte ut importunum glossema aut expunctum est aut omissum, in E uno prae ceteris retentum. Propter rasuram in M, in qua scriptum *fraterniterq.*, non satis certa est prima scriptura, tamen *concomi fronte comiter* fuisse verisimilius fit cognitis iam B Magl. Laur. 3., in quibus (pariter atque in ed. 2.) est *comi fronte comiter.* In M praeterea super *i* in *comi* additum *ĩ*, sed *con* integrum mansit, ita ut postrema scriptio haec sit: *concomiter fraterniterque* (quod perperam interpretati sunt Alsch. et Hertz).

23, 3 *fossa Cluilia*, ut »ab nomine ducis appellata», scribendum est (cf. 2, 39, 5), non *Cluilii*, quod ipsum erat nomen ducis. In cdd. *a* ante *ab* omissum est.

23, 5 *quam proxime* ad hostem potest Mettius ducit, quo facilius Romanorum regem conveniret. Hic enim de studio appropinquandi ad hostes colloquii causa, non de itinere quam brevissimo eligendo oratio est. Madvig solus contra cdd. *qua proxime* scripsit, quod tamen Gronovio placuerat. Cf. 44, 12, 6 regii lembi... quam poterant proxime litus tenentes intrarunt urbem.

23, 6 *tamen, si vana adferantur* (quae coniectura est I. H. Vossii, Randglossen p. 267), vel iam a legato (cf. 2, 4, 4) vel a Tullo in colloquio, *in aciem educit.* Cf. 1, 41, 1 si destituat spes, alia praesidia molitur. *tametsi vana adferebantur*, quod praebent cdd., ob id ferri non potest, quia vana esse nondum compererat. Nec magis toleranda est recepta illa a Madvigio coniectura Tanaquilli Fabri *tametsi vana afferri rebatur;* nam si Tullus vana adferri rebatur, non ob id minus, sed multo magis, ut statim ad pugnam esset paratus,

in aciem educere debebat exercitum, ideoque, si ita esset, rectius quia vana adferri rebatur scribendum fuit. Non alio apud Livium loco invenitur tametsi.

23, 6 *instructi*, an, quod est in cdd., simplex *structi* legendum sit, quaeritur. Vulgatissimae apud Livium, ut apud alios scriptores, hae sunt locutiones: aciem instruere (3, 62, 6. 5, 38, 1. 6, 7, 2. 8, 8, 14; 38, 8. 23, 37, 8. 25, 4, 4. saepius), elephantos, naves instruere (30, 33, 4. 37, 29, 5), in plures ordines instrui (8, 8, 3), instructis ordinibus procedere in aciem (8, 9, 2), se iungere atque instruere (39, 31, 1), satis temporis ad instruendum (10, 19, 15. 9, 37, 3), acie instructa hostem lacessere, ad hostem accedere, spatium complere (3, 60, 5. 3, 2, 7. 3, 60, 3), satis commode instructum esse (10, 19, 14). His autem, qui sequuntur, locis verbum simplex struere cum ab aliis probatur tum a Rhenano, Gronovio, Drakenborchio, Weissenbornio, Madvigio: 8, 8, 3 manipulatim structa acies coepit esse, 9, 31, 9 sua sponte struebatur acies, 42, 7, 4 progressi ante portas aciem struxerunt, 42, 51, 3 omnes armatos in campo struxit (instruxit Madvig contra cod. Vindob.). Cf. Virg. Aen. 9, 42 Neu struere auderent aciem, Tac. Hist. 4, 24 stare contra, struere aciem, 5, 11 Iudaei sub ipsos muros struxere aciem. (Vid. Oudendorp ad Caes. b. c. 3, 37 copias ante frontem castrorum struxit). Ob haec quidem exempla addendum est struere Draegero I § 85, Kuehnastio p. 332. Num vero continuo sequitur, ut hoc, qui nobis adest, loco *structi utrimque stabant* scribere oporteat. Aliter enim res se habere videtur, cum non adest res obiecta, aut de acie componenda et ordinanda agitur, sed ad partem subiectivam sive milites ipsos adiuncto verbo describitur, quo quis in statu sit aliquid agens vel operans, velut 4, 18, 4 exercitus stetit instructus, 9, 37, 3 acies instructa primo suo stare loco, 1, 1, 7 cum instructae acies constitissent, 42, 59, 1 instructae acies concurrunt, 37, 29, 7 instructa acies (navium) in altum processit, 1, 12, 1 exercitus instructus campum complevit, 40, 28, 1 pariter omnes compositi et instructi procedebant (ubi contrarium est dispersi et inordinati), 1, 15, 2 Romanus dimicationi ultimae instructus intentusque Tiberim transit, 3, 8, 8 incidunt in consulem instructum et ad certamen intentum (i. e. qui instructus erat vel stabat). Cf. Sall. Iug. 53, 5 Romani instructi intentique obviam procedunt, 97, 5 ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant, Auct. b. Afr. 17 ad sua praesidia sese, sicut erat instructus, recipere coepit. In tanta constantia exemplorum verisimile est Livium *postquam instructi utrimque stabant* scripsisse, sed ex consuetudine vulgari *in* post *m* omissum esse; et est *instructi* in

omnibus ante Alsch. edd. Ob eandem causam 24, 7, 4 Ibi cum instructi armatique starent apud omnes fere invenies, si discesseris a Weissenbornio et Hertzio, quamvis cod. Put. habeat cum structi. Nec aliter 29, 2, 6 exercitum cum struxissent cod. Put., ubi tamen Madvig et Luchs ex quibusdam cdd. restituerunt instruxissent.

23, 6 *procedunt* cdd. transalpini, edd. fere omnes, *prodeunt procedunt* M, *prodeunt* cdd. cisalpini vulgares et mixti, p in marg. ed. 2. Als. Hz. Procedere vox est Livio usitatissima de sollemni progressu, etiam ad pugnam: 2, 5, 8 Consules in sedem processere suam, 4, 6, 1 cum in contionem consules processissent, 24, 5, 3 Hieronymum quadrigis alborum equorum ex regia procedentem conspexere, 7, 26, 1 Gallus processit magnitudine atque armis insignis. Ib. M. Valerius in medium armatus processit, 1, 25, 1 trigemini feroces in medium inter duas acies procedunt, 3, 62, 6 avidi certaminis procedunt, 6, 23, 2 procedere in medium campi, 2, 35, 5 Universi processere (patres) precibus plebem exposcentes ctt., 34, 5, 7 matronae in publicum processerunt, 29, 26, 8 legiones ad prosequendos commilitones processerant, 44, 1, 6 ornato exercitu obviam venienti consuli processit, 35, 46, 4 Rex cum haud procul portu egressus esset, magistratus quoque Chalcidensium et principes ante portam processerunt, 40, 28, 1 omnes compositi et instructi procedebant, 34, 5, 1. Si privati tantummodo ad suadendum.. processissent ctt. Rarius est prodire nec eandem pompam significat, ut 1, 13, 4 ad foedus faciendum duces prodeunt, 1, 41, 6 Servius cum trabea et lictoribus prodit; quo quidem loco prodit nihil aliud est nisi in publico apparet, populo se ostendit. Itaque videntur transalpini certiorem duplicis scripturae partem selegisse.

23, 8 *quo proprior es, hoc magis scis.* Post *propior* nomen *uulscis* addunt MF Bamb., *uulsis* P, *uolscis* U edd. 1. 4. 6. 8. 9.; in quibus omnibus deest *es*. Reliqui cdd. habent *es uulscis* vel *es uolscis*, ante quod in D rasura est, in R autem *uul scis* divisum (m. 2. lineola iunctum) atque *es* in praecedente rasura alia manu scriptum (ipsi librario tribuit Riemann). In M versus desinit in *propior* (quamobrem *es* facile excidit), alter incipit ab *uulscis*, quod m. 2. interpungendo in *uul scis* dividendum significavit. Videtur istud *scis* id ipsum esse, quod subsequitur, praepropere scriptum (cf. supra ad 21, 5 soli), postea vero adauctum. Solebat enim *uel* addi ad verba suspecta aut vacillantia, ut 45, 2 pro *iam tum* in M est *tantum*, in P *uel tam tum*, in FU *uel tantum*, in Bamb. *ut tantum* (i. e. *ul tantum*). 32, 11 pro Priscis Latinis omnes cdd. habent *priscis uel latinis*. Facile autem *uel scis* commutatum est in *uulscis* aut *uolscis*,

quod aperte falsum est, cum quaestio sit de Etrusca gente, ad quam Volsci non pertinebant. Si *es Tuscis*, id quod hodie placet plerisque, a Livio scriptum esset, ex eo non uolscis aut simile exstitisset. Gentis nomen hic minime necessarium esse iam Heyne et Voss intellexerunt.

24, 3 *cuius* exhiberi a cdd. B Magl. (qui discrepant ab optimis) iam docuit Riemann. Sic legi in ed. 3. Ald. Mog. Sob. Frob. Grut. Revocavit autem Gronovius, quod iam in ed. 1. fuerat, atque ab ipso in septem mss. inventum erat, *cuiusque*, ut quod redoleret vetustum sermonem in formulis servatum. Probabant sequentes, etiam in primis edd. Weissenborn, tamen praeclare admonens talem usum illius verbi novum esse et inauditum, etiamsi *quandoque* a Livio dictum esset pro quandocumque, *quisque* pro uterque, denique, id quod apud Gronovium valuerat, quisque a Plauto pro *quicumque*. Nisi enim ut utriuscumque hoc loco in ut cuiusque commutatum sit, quod quidem longinquius est (vid. Coll. cdd. Liv. p. 83), vitiose *que* adscriptum esse statuendum erit, quemadmodum aut omnes aut optimi cdd. in hoc ipso libro exempla praebent 32, 2 longeque, 59, 10 nefandoque, 29, 6 egressique, 26, 14 constructumque. Spreto igitur *que* assuticio, id quod restat, *cuius* non magnam habet difficultatem. Saepius enim qui vel quis, ubi uter exspectandum erat, in usum venit. 1, 6, 4 legerent, qui nomen novae urbi daret (Romulus an Remus), 1, 56, 10 sciscitando, ad quem eorum regnum esset venturum (utrum ad Titum an ad Arruntem), 1, 48, 2 apparebat regnaturum, qui vicisset (de Servio et Tarquinio), 7, 9, 7 Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus.. nec, qui potirentur (Romani an Galli) satis discerni poterat, 9, 45, 8 quibus legendi, quid mallent, copia non fuerit, 21, 39, 6 incertos, quae pars sequenda esset, 1, 27, 6 Consilium erat, qua (i. e. utra parte) fortuna rem daret, ea inclinare vires, 4, 37, 9 Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset, 10, 12, 5 Pugnatum maiore parte diei magna utrimque caede; nox incertis, qua data victoria esset, intervenit, 10, 28, 1 communis adhuc Mars belli erat necdum discrimen fortuna fecerat, qua datura vires esset. Etiam apud alios scriptores eius generis exempla deprehenduntur: Cic. Att. 16, 14, 1 sin autem vincitur (Octavianus), vides intolerabilem Antonium, ut, quem velis, nescias (i. e. utrum velis victurum esse), Fam. 7, 3, 1 ut non explicarem, quid esset optimum factu (manere in Italia, an proficisci), Caes. 5, 44 Hi (Pulio et Vorenus) perpetuas inter se controversias habebant, quinam anteferretur. Tac. Ann. 3, 1 rogitantium inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent, neque satis constabat, quid (i. e. utrum) pro tempore foret, ibm 1,

47 quos igitur anteferret? (i. e. utros, utram partem). Similiter nonnumquam poetae: Virg. Aen. 12, 719 quis nemori imperitet, 727 quem damnet labor, Iuv. 8, 196 Finge tamen gladios inde atque hinc pulpita poni: Quid satius?, Phaedr. 4, 22, 1 Formica et musca contendebant acriter, quae pluris esset, Pers. 2, 20 Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis (Iupiter an Staius).

24, 4 *puram* pro substantivo acceptum idem valet atque herbam puram sive verbenam (cf. § 6). Nec aliud est praecedens illud sagmina, ad quod strictius referentes Carbach et Sobius pura scripserunt. Eiicere hanc vocem alii voluerunt. Res vero anceps est his in sollemnibus verbis aliquid mutare. Pari modo apud Livium aliquotiens laurea pro laurea corona legitur.

24, 6 *Fetialis erat M. Valerius: is patrem patratum Sp. Fusium fecit.* Rex autem ipsum fetialem fecerat. Itaque pronomine indicandum erat patrem patratum a fetiali, non a rege factum esse. Excidit autem *is* praeeunte syllaba finali *us* ac deest in antiquis edd.; mansit tamen in MP et, quod nominatim refert Rhenanus, in cod. Vormaciensi. A Rhenano restitutum servavit Gruterus, at postquam Gronovius (ad cap. 1 extr.) declarare ausus est: »Rhenanus interposuit *is* a mala manu«, eum secuti omnes ante Alshefskium (excepto Giovenazzio) hoc pronomen omiserunt.

24, 7 *prima postrema*, »tum prima tum postrema, a capite ad calcem« (Crev.), cod. Vorm., quocum faciunt R Magl. NOEHQ, in reliquis ultimum *a* in *ũ* mutatum est. Inde ab ed. Frob. Rhenani illa scriptio ab omnibus servatur.

24, 8 *Si — tum*, ex illa iuris iurandi formula »Si sciens fallo, tum« etc. Cf. 22, 53, 11. *illo die, Iuppiter, — sic ferito* respondent iis, quae sequuntur, *ut ego — hodie feriam.* Est, ut vulgo, invocatio Iovis, quamobrem *ille,* quod est in optimis cdd. et nominativum substantivi secum traxit, tolerari nequit.

25, 2 *Itaque ergo erecti.* Facile incideret suspicio, in tali casu *ergo* ex *erecti* genitum esse, praesertim cum desit tum ante Aldinam, saltem in edd. 1. 3., tum post Aldinam in edd. Mog. et Sob., nisi a Livio particulae illae itaque ergo (τοιγάρτοι) saepius iungerentur: 3, 31, 5. 9, 31, 16. 39, 25, 11.

25, 2 *animos intendunt* scribi oportere docuit H. I. Mueller. *animo incenduntur* legi in optimis cdd. atque in edd. 1. 2. 3. 5. Ald., postremo tempore dubio etiamtum Alschefskio denuo a Weissenb. receptum. Dicitur quidem incendere alqm vel animum alicuius ad alqd (ad studium, ad facinus, ad hostes persequendos), adeoque animi incenduntur ad alqd, nusquam vero, quod sciam, animo incendi

in alqd (in minime gratum spectaculum); neque hoc loco de animis incensis et flagrantibus agitur. Vulgatissima vero locutio est animum intendere in vel ad alqd, idque ipsum hic dicitur: defigebant animos et intendebant in illud spectaculum, in eventum pugnae acriter intenti stabant. Neque tamen animo intendi magis quam incendi probabile est; et intenduntur pro intendunt aeque facile scriptum est ac 1, 19, 4 in multis cdd. et edd. luxuriarentur pro luxuriarent, 1, 52, 4 videbantur pro videbant. Vid. Livian. libr. emendand. ratio p. 34. Exstitit igitur animos intenduntur (aut incenduntur), quod quia minus quadrabat, s deletum ut animo fieret.

25, 6 *exanimes vice unius*, exterritas et consternatas sorte illa incommoda, in qua tum ipsum erat is miles eorum, qui unus restabat. Condicio illius, quae forte in praesenti in peius mutata erat, causa fuit curae et angoris, quibus impleti erant animi eorum. Exanimes sunt attoniti omnique spe destituti, nullius iam contentionis et operae compotes, cum quo habitu animorum ablativus causam stuporis indicans apte iungitur. Alia autem adiectiva, sollicitus, anxius, maestus (nonnumquam substantiva, ut pavor 39, 14, 4), quibus studium quoddam aliquo intentum significatur, accusativum determinationis *vicem* sibi adiungunt: 21, 34, 5. 28, 19, 7; 43, 9. 44, 3, 5. 8, 35, 1. Curt. 7, 6, 5. Diriguntur ad rem vel suam vel alienam contemplandam sollicitudo, anxietas, maestitia, pavor (ut idem fere sit atque pro aliquo), non ita perturbatio eorum, qui casu aliquo adflicti aut metu perculsi exanimes vocantur. Verum etiam in usu illorum verborum, quibus sollicitudine adfectus aliquis significatur, non semper, in quid animus intentus sit, sed etiam qua re commotus sit, indicatur, velut Curt. 7, 43, 20 Rex non cupidine magis potiundi loci, quam vice eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus, toto die cacumina montis intuens restitit. Tanto magis exanimis, quod prorsus passivum est nec exteriora respiciens, ablativo adnectitur, atque incertum est, num uspiam a veteribus scriptum inveniatur exanimis vicem alicuius. (Cf. Quint. 11, 1, 42 Bonum virum decet malos odisse, publica vice commoveri, ultum ire scelera et iniurias). Nihilo minus Madvig, ut acc. vicem statueretur, suadente Gronovio omnium cdd. et edd. auctoritatem deserere necessarium duxit.

25, 9 *solet* »non raro ita absolute ponitur in eo, quod ex more fit«, Fabri ad Liv. 33, 14, 2, ubi exempla adferuntur. Sic assolet 1, 28, 2. 5, 52, 16. 23, 31, 15. 37, 14, 5. 40, 54, 8. Cf. Naegelsb. Stil. § 183. 2. II. Non discrepat illa ellipsis a sermone Graecorum: Arrian. 1, 7, 3 *ὅπερ φιλεῖ ἐν τοῖς τοιοῖσδε* (sc. *γενέσθαι*). Etsi

plerumque intelligitur esse vel fieri, ac nonnumquam additur, ut 1, 29, 2 et 25, 10, 1, tamen haud scio, an loco nostro adiuvare audiri possit.

25, 13 *quo prope metum res fuerat* (sic cdd. et edd., si exceperis *quo propius* Grut., *quod prope* Madv. ed. 2.), i. e. quo metui res adpropinquaverat. Adiectio igitur gradatim facta in ipso enuntiato continetur: auctiorem metum aequabiliter auctius gaudium secutum est. Similiter fere 21, 54, 8 quidquid aurae fluminis adpropinquabant, adflabat acrior frigoris vis (i. e. quo magis usque adpropinquabant), 40, 22, 2 quantum in altitudinem egrediebantur, magis magisque silvestria loca excipiebant. Latet in his comparativus sententiae secundariae; abstrusus quodam modo est 34, 4, 3 Haec ego, quo melior laetiorque in dies fortuna rei publicae est, imperiumque crescit, eo plus horreo. Ubi, quia remotius *quo* comparativis prioris membri adhaerebat, posterius enuntiatum secundarium sic supplevit ed. Frob. (Rhenanus): quo magis imperium crescit. Interdum eo modo manca sunt enuntiata proportionalia, quae vocantur, ut in principali sententia desit comparativus, velut 6, 34, 1 Quanto magis tranquilla omnia erant, tanto in urbe miseriae crescebant. Secundariae autem sententiae, quae a quanto incipiunt, haud raro apud Tacitum carent comparativo: Ann. 1, 57 quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, 1, 68 Hosti facile excidium cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum quanto inopina, tanto maiora offunduntur, 3, 5 tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset. Sic saepius. Cf. Cic. Dei. 4, 12 Tanto ille superiores vicerat, quanto tu omnibus praestitisti, Ov. Met. 1, 464 Quanto animalia cedunt deo, tanto minor est tua gloria nostra.

26, 8 *Ita prov. cert.*, ut paulo ante § 6. Cdd. et edd., paucissimis exceptis, *Ita de provocatione certatum:* certasse igitur de eo reum et duumviros, quatenus ipsa provocatio iure et aequitate niteretur; quod non apte dici iam Lipsius et Tan. Faber censuerunt, quamobrem remoto *de* ille *Ita demum* (quod in textum recepit Prendeville), hic *Itaque*, i. e. atque ita (quod recepit Frey) coniecit.

27, 1 *commissa fuerat* his demum annis extremis doctissimi viri scribere coeperunt: priorum neminem codicum scriptura *commissa fuerit* offenderat, nisi quod Ruperti eiusque imitator Lemaire in scholiis haec addiderunt: »forte *fuerat* aut *fuisset*, Bauer«. Perfectum coniunctivi poni non posse, ait Madvig, in huiusmodi sententia ad primariam praeteriti temporis sententiam adiuncta de re ante acta pro plusquamperfecto. Ad primariam vero praeteriti temporis sententiam altera aut ita adiungi potest, ut ex illa pendeat, aut ita,

ut ab ea soluta et libera sit. Etiam in iis, quae pendent, Livius interdum parum rigidus est, ut in illo exemplo, de quo ipse admonet Madvig, 7, 4, 4 Crimini ei tribunus dabat, quod filium iuvenem . . . prope in ergastulum dederit, vel in alio, quod attulit Weissenborn, 44, 13, 12 tradit (Valerius) nec cum gratia ab consule profectum (Eumenem) in Asiam, indignatum, quod, ut iisdem castris tenderet permissum non fuerit. Nostro autem loco vel ad talem licentiam confugere non opus fuit. Servata obliquae orationis significatione per se recte dicebatur: Invidia vulgi, quod tribus militibus fortuna publica commissa fuerit: nam obversari animo scribentis potuit praesens historicum Invidet vulgus, quod — comm. fuerit (idque vanum ingenium dictatoris corrupit); qua re enuntiata orationem continuare licebat vel praesenti historico vel perfecto, neque hoc ad ea, quae in cogitatione praecesserant, mutanda ullam vim habebat.

27, 5 *Hi et in acie* ctt. Ut inter confluentes Anienis et Tiberis et Fidenas Veientes Tiberim transierant, sic etiam in acie proxime hoc flumen stabant. Itaque minime tollendum *et*, ut nonnulli voluerunt. Cf. c. 25, 14 ut et.

27, 8 *invadant* etiam Bamb. B Magl. habent. — *erigerent iubeat* FPU Bamb. In M genuinum verbum, ut saepius fit in duplici scriptura, glossemati immixtum. Spurium esse *iubeat* iam Modius intellexerat.

27, 11 *inter fugae pugnaeque consilium*, de iis, qui fuga salutem petere vellent, sed non possent, quippe qui flumine detinerentur ac necessitate coacti pugnarent. E contrario 14, 8 inter pugnae fugaeque consilium dicitur de equitibus, qui se pugnare velle, sed non audere simularent. Cod. U in collocatione verborum nullius est auctoritatis.

29, 6 *urbe* Madv. *urbem* cdd. edd. (quae casu fortuito permutata praebet Collatio mea). Etiam aliis quibusdam locis Livianis allatis statuere voluerunt critici recte dici egredi urbem et similia: 3, 57, 10 priusquam urbem egrederentur cod. Veron. M ceterique praeter transalpinos; 22, 55, 8 egredi urbem cod. Put. (reliqui non noti); 29, 6, 4 egressi quidam urbem Put. accedente uno Laurentiano (*urbe* octo cdd. collati a Luchsio, qui hoc praetulit); 35, 46, 4 cum haud procul portum egressus esset Pal. I, 44, 13, 12 navem egresso, edd. Frob. Grut. sqq. (nave cod. Vind. edd. Madv. Wb.). Coniunctim potissimum synonymi verbi excedendi rationem habent, cuius exempla prolata sunt 2, 37, 8 urbem excederent MR PU (urbe Harl. I), 10, 18, 11 ut provinciam tuam excederes Lovel. 3. (»Quae lectio non displiceret, si plures ac certiores codd. eam firmarent.

Livius enim ita saepe hoc verbum construere solet». Drakenborch), 23, 1, 3 urbem excessissent Put., 24, 3, 15 ita Crotonem excessum est Put., 24, 20, 10 neque usquam viam excessum est, ut videntur Gronovio voluisse Put. aliique cdd., in quibus vim excessum legitur, 25, 9, 4 excedere ordinem agminis Put., 30, 20, 7 hostium terram excedentem Lov. 5. (»Livio familiarem hanc locutionem esse vidimus ad 2, 37, 8. Invitis tamen reliquis uni huic testi fidem habere non audeo, cum et altera constructio saepe apud Livium obcurrat». Drak.), 32, 25, 7 excedere urbem Mead. I (»Quod, si plures cdd. idem vellent, non repudiarem». Drak.), 34, 9, 7 urbem excedebant cod. Harl. (»Quod non displiceret, si aliorum cdd. testimonio stabiliretur». Drak.), 34, 28, 12 nullo iam hostium portam excedente Voss. Lov. 1. 5. 6. cett. (porta cod. Mogunt., cui adhaerere se malle ait Drak.), 38, 7, 1 Amphilochiam excessit atque in Macedoniam rediit Lov. 5. cett. omissis verbis excessit atque in Macedoniam (»Aldus quattuor, quae deerant, voces fide cod. Mog. restituit: legitimam tamen causam non habuit, cur pro Amphilochiam, ut membranae illae praeferunt, substitueret Amphilochia. Livius enim saepius excedere cum quarto casu construxit». Drak.), 45, 20, 3 curiam excessit (»Et hic male curiosi fuerunt recentiores: nam prima editio curiam excessit». I. F. Gronovius. »curia demum in ed. Sigonii inveni. Omnes priores constanter curiam excessit, quod recte Crevierius iterum in contextum recepit». Drak. Adnotaverat autem Crevier: »Sic dicitur egredi castra, urbem»).

Quam prompti fuerint editores illustres ad accusativum cum his verbis iungendum, ex iis, quae allata sunt, satis apparet; librariis autem, qui omnino ad accusativos ponendos valde propensi fuerint, eandem formam perplacuisse minus mirum est. Qui vel mediocriter in scribarum mendis vulgaribus cognoscendis versatus erit, facile intelliget (ut primum ad hoc exemplum redeam) omissione facta Amphilochiam istud pro Amphilochia transitu ipso in sequens nomen Macedoniam huius casum assumpsisse. Habet vero id incommodi, ut alio loco relicto iter in illam urbem factum significetur. Non magis in altero exemplo consimili Crotonem (ne de suspecta hac forma dicam) ob eandem ambiguitatem probari potest. (Ceterum cf. Roma egressus Sall. Iug. 35, 10. Hor. Sat. 1, 5, 1. Gadibus excessisse Caes. b. c. 2, 20). Etiam evidentius est 35, 46, 4 haud procul portu necessario scribendum esse, atque 24, 20, 10 via excessum est (cf. Virg. Aen. 2, 737 nota excedo regione viarum). Perexigua aut vix ulla auctoritate codicum nituntur 10, 18 provinciam, 30, 20 terram, 32, 25 et 34, 9 urbem, nulla prorsus 45, 20 curiam. Quid? quod

45, 13 navem contra ipsum Vind. scriptum est. Scriptiones 3, 57 urbem egrederentur, 29, 6 egressi urbem, 34, 28 portam excedente iam discrepantia codicum vehementer convelluntur; etiam 2, 37 urbem excederent consensu codicum destituitur. Tres locos ex uno Puteaneo cognitos habeo, 22, 55 egredi urbem, 23, 1 urbem excessissent, 25, 9 excedere ordinem agminis. Iam vero duobus exemplis allatis, 24, 3, 15; 20, 10, fides illius labefactatur; etiam 29, 6, 4 a Luchsio is codex postpositus est. Restat unus locus, 1, 29, 6 egressus urbem, in quo nullam cognoverim codicum aut editionum ante alteram Madvigii dissimilitudinem. Ut cum de hoc loco certius iudicemus tum de iis, in quibus cdd. inter se discrepant — quamquam, ut iam monui, constat accusativos in iis saepissime falso scriptos esse — inspiciendi alii eiusdem generis loci, in quibus de scriptura nihil dubii sit, totaque Livii dicendi ratio perquirenda. Ac paene innumerabilia exempla sunt huius generis ablativorum: 21, 12, 5 egressi urbe (sic legi in cod. Colb. 5731, ubi deest Put., in quo, quae sequuntur, vidi), 25, 8, 4 per speciem venandi urbe egressi, § 6 praedandi causa se urbe egressos, 28, 26, 11 urbe egrederetur, 23, 11, 4 oraculo (Delphico) egressum, 28, 2, 5 egressos vallo (egressus Put.), 23, 16, 10 porta egrederetur, 23, 46, 10 egredi portis, 24, 40, 11 ab urbe sine ullo tumultu egressus (cf. Suet. Claud. 23). In prima autem decade hae locutiones certissimae sunt: egredi castris 3, 60, 8. 6, 7, 2. 7, 36, 11. 8, 38, 5. egredi portis 3, 60, 9 et 8, 11, 4; tamen porta vel portis hic illic est abl. viae, ut 9, 16, 7 qua noctis hora quaque porta et quam in viam egressurus hostis foret; sic etiam 4, 19, 8. 7, 12, 3. 9, 36, 10.

Excedere autem cum ablativo in his locutionibus iungitur: urbe excessit 30, 7, 1. 31, 17, 3. 32, 25, 7. urbibus excedant 26, 24, 5, pugna excessit 2, 19, 9 et 44, 42, 1, acie 4, 28, 8 et 31, 17, 9, proelio 10, 14, 6 et 21, 4, 8, excedere curia 37, 1, 3 et 42, 26, 5, templo 39, 5, 6 et variante scriptura 29, 19, 3; Asia excessisse 38, 8, 8, Italia excedere 10, 2, 3. 30, 23, 5. 37, 1, 6; 49, 7. 39, 54, 13. 42, 36, 7; 48, 3. excedere agro Romano 2, 13, 4, agro hostium 8, 2, 8. 35, 4, 3, hostium terra 30, 20, 7, finibus 30, 42, 5. 41, 19, 7, moenibus 33, 14, 6, castris 34, 40, 2, regno 36, 14, 9, ea regione 33, 6, 8, saltu Castulonensi 27, 20, 3, priusquam hoc circulo excedas 45, 12, 5. Interdum tamen Livius praepositionem, quacum haec verba composita sunt, in regimine repetit, ut 2, 48, 10 et 7, 31, 11 e curia egressus, 10, 20, 7; 35, 17 e castris egredi, 35, 4, 3 egressum e finibus, 23, 8, 8 ex convivio, 26, 30, 11 excedere ex templo, 2, 19, 5 exc. ex acie.

Cum hac Livii dicendi consuetudine congruunt reliqui scriptores. Sall. Iug. 44 egredi provincia, 91 castris, Cat. 9 proelio, 49 ex senatu. Nep. Epam. 9 excedere pugna, Eum. 4 ex proelio, Hann. 6 ex acie. Caes. b. G. 2, 11 egredi castris, 6, 36 ex castris, 6, 31 ex finibus, 7, 28 portis; excedere finibus 4, 18 et 7, 77, ex finibus, pugna 5, 36, ex pugna 3, 4. Curtius: egredi vel excedere tabernaculo, convivio, egredi porta, excedere castris, vallo, finibus regni. Virg. Aen. 1, 357 excedere patria, 3, 60 terra, 9, 366 castris, 9, 789 pugna, Ov. Met. 3, 388 egressaque silva ibat, Phaedr. 3, 16, 17 Noctua egressa e cavo trepidantem consectata est.

Omnes illi accusativi, de quibus cum vocibus egrediendi et excedendi apud Livium coniungendis quaestio fuit, in em, am, um exeunt, quae mutatio ex e vel a vel u facile ac saepe facta est. Nam quod perhibet Crevier (ad 45, 20, 3) »Sic dicitur egredi castra«, neque id neque aliud simile ullo exemplo probari potest. Allegant quidem M. Mueller (ad 1, 29, 6) et Weissenborn (ad 22, 55, 8) Caes. b. G. 1, 44, 7 provinciae fines egressum; ibi vero finibus in optimis cdd. esse in Collatione codicum Caesaris docui. Ceterum monendum est, hic de iis locutionibus agi, ubi relinquendi vis sit in his verbis. Quotiens autem est ultra terminum statutum vel modum quendam progredi, ut reliqui omnes, sic Livius accusativo utitur, velut modum in certamine egredi (2, 61, 4), libertatem muniendo, appetendo gloriam modum excedere (2, 2, 2. 22, 39, 9). Quo in usu idem plerumque valent illa verba ac transcendere, procedere ultra alqd, superare, vincere, ut Sall. Iug. 110 Ego flumen Mulucham non egrediar neque id intrare Iugurtham sinam, Caes. b. c. 3, 52 Germani (qui in exercitu Caesaris erant) munitiones nostras egressi compluribus interfectis sese ad suos incolumes receperunt, Tac. Agr. 33 egressi priorum exercituum terminos, Quint. 11, 2, 13 Vix eo limen egresso, triclinium illud supra convivas corruit (cf. Ter. Hec. 3, 3, 18 iam ut limen exirem, ad genua accidit lacrumans misera. Ov. Met. 10, 50 Hanc simul et legem Rhodopeius accipit heros, Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas Exierit valles.), Plin. Ep. 6, 20, 8 Egressi tecta consistimus (i. e. ubi extra portas sive moenia processimus, in planissimo campo consistimus), Lucan. 5, 511 Sola placet Fortuna comes tentoria postquam Egressus vigilum somno cedentia membra Transiluit, ib. 1, 497 velut unica rebus Spes foret adflictis patrios excedere muros, Inconsulta ruit, 8, 236 nunc Parthia ruptis Excedat claustris vetitam per saecula ripam, 2, 271 nubes excedit Olympus, Vell. 2, 40 Pompeius fortunam hominum egressus, Curt. 9, 10, 28 gloria humanum fastigium exceditis. Hae igitur locutiones

diversae ab eo usu verborum sunt, de quo quaestio est, cuius tamen probandi causa pleraque ea exempla ab interpretibus adhibita fuerunt.

Si vero ad illam relinquendi vim verborum exquirendam redimus, frustra apud scriptores exempla accusativi quaerimus, ablativos passim reperimus, et quidem haud raro ea ipsa nomina, quae apud Livium in accusativos commutare voluerunt editores. Virg. Aen. 2, 713 urbe egressis, 11, 540 excederet urbe, Cic. ad Brut. 1, 15, 5 excessistis urbe ea, quam liberaveratis, Curt. 10, 7, 3 urbe excedere, Suet. Tib. 40 urbe egrediens, Aug. 53 Non temere urbe oppidove ullo egressus est nisi noctu, Plin. Ep. 6, 20, 7 excedere oppido. Ubicumque igitur in cdd. Livianis urbem egredi vel excedere invenimus, id falsum iudicare ne dubitaverimus. Haud aliter in reliquis agamus. Sall. Iug. 45 (Solebat Metellus) in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent. Sic etiam Liv. 25, 9, 4 contra cdd. scribendum: via omnes irent nec deverti quemquam aut excedere ordine agminis paterentur. Ut est Sall. Iug. 15 Deinde utrique curia egrediuntur, sic Liv. 45, 20, 3 curia excessit scribere oportebit; neque vel si annueret Vindobonensis, tolerandum ultra esset 45, 13, 12 navem egresso. Cf. Caes. b. G. 4, 21 et 24, item 26 et 27. Cic. Vatin. 5, 12.

30, 5 *suos*, i. e. quosdam suae gentis homines. Utrimque iniuriae factae erant: Romani suos ab Sabinis, hi suos ab illis minus liberaliter habitos querebantur; Romanos, in quibus Sabini peccavissent, negotiatores fuisse et in terra Sabinorum negotii causa commorantes ab iis, nimirum contra ius gentium, comprehensos; Sabinos transfugas iam ante, cum culpae rei Romae perfugium et praesidium salutis quaesivissent, reposcentibus civibus non deditos. Hi quid commiserint aut cuius generis homines fuerint, nec indicatur nec indicari necesse fuit: id erat dicendum, Romae Sabinos contra ius gentium retentos, ideoque utrisque ab alteris iniurias factas. Dicit Madvig, quotiens ad hunc locum redierit, se suspicatum esse unam vocem ob litterarum similitudinem excidisse Liviumque scripsisse: Sabini suos servos prius ctt. A prioribus litteris *uos* (suos) librarium aberravisse ad easdem altero loco positas *(seruos)*. At suos servos tum demum scribi potuisse apparet, si ante de servis Romanorum mentio facta esset, idque ubi sensit vir clarissimus, a se ipso desciscens non suos servos, sed servos suos dedit in oratione Liviana: id tamen si scriptum fuisset, librarium, si aberravisset, ita aberraturum fuisse necesse erat, ut proxima syllaba *ser* finita atque ad posterionem sequentium du-

arum similium *(uos)* transitione facta suos (non servos) excideret. Codices autem constanter haec servant: Sabini suos prius ctt.

31, 1 *pluvisse*, quod iam est in ed. Sob., restituit H. I. Mueller, cuius vide adnotationem. Saepe in cdd. u pro uu scriptum est, quae exempla alibi colligam.

31, 8 *iis sacris*, errore scriptum pro *his sacris*, quae modo invenisse dicitur Tullus in commentariis Numae. In edd. fere omnibus *his* scriptum fuerat, cum Alsch., quod in MP invenerat, *is* in contextum obnoxie recepit. Quod, quia nimirum ferri non potuit, in *iis* tacite mutavit Weissenb., eumque Hertz, Madvig, ceteri secuti sunt. Sed et *is* in MP legitur pro *his*, et *his* pro *is*, ut supra 26, 13 his quibusdam et infra 35, 2 hisq. primus M habet. Ceterum in reliquis cdd. fere omnibus h mansit.

32, 2 *ex commentariis regis* omnia ea in publico proponi iussit, quae ad sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facienda pertinebant. Paulo ante (31, 8) narratum erat, Tullum regem volventem commentarios Numae operatum sacris se abdidisse. Hic igitur de commentariis regis Numae agitur, qui sacra omnia exscripta pontifici a se lecto attribuerat (20, 5), non omnino de commentariis regiis. Alii erant commentarii Servii Tullii (1, 60, 4), aliae regiae leges (6, 1, 10). In ed. Weissenb. *regis* legens nihil ex M adnotavi, postea vero quam hoc ab Alsch. notatum vidi: »M: *regiis:* sed *is* in ras.«, signum interrogationis adposui. Si est radendo in *regiis* commutatum, antea *regis* fuisse verisimile est. Ad libidinem autem factas in illo cod. mutationes certis exemplis docui. Iam vero Madvig lectionem istam in rasura effectam M ipsi vindicans a ceteris omnibus edd. secessit.

32, 2 *in album relata* scriptum fuisse videtur in cod. Vorm. Sic enim Rhenanus: »Pontificem maximum in album relata) In libro scripto tantum est: Pontificem in album. Sicut supra: Pontificem deinde Numa Marcium M. F. ex patribus legit«. Hoc solum commemoravit, *maximum* non esse in libro scripto, de reliquis tacuit, neque vero tacere debuit, si non relata, quod ipse adfert, etiam in Vorm. fuisset. *relata*, quod coniecerat Sabellicus, exstat in edd. Asc. Mog. Frob. Grut. ceterisque (exceptis Ald. Sob.) ante Alsch. At longe alia vi Livius efferendi voce uti solet, velut 1, 40, 7; 48, 3; 59, 3. 21, 30, 8. Relegamur a Madvigio et Weissenb. ad Cic. de or. 2, 12, 52, ubi tamen remota iam a Lambino antiqua scriptione omnes hodie legunt: res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex max. referebatque in album et proponebat tabulam domi. Cf. Liv. 43, 13, 2 ea pro indignis habere, quae in meos annales re-

feram. Sic constanter Livius referre in annales, in tabulas, in libros linteos, sim. Permutabantur inter se etiam alia verba similia, velut egredi et regredi 10, 32, 4. In exemplo editionis 5., quod est in magna illa bibliotheca Parisiensi, loco praesenti antiqua manu in margine adnotatum est: »In album relata non elata legendum».

32, 8 *fuit* a Madvigio in altera ed., a Muellero in septima Weissenb. e coniectura Wesenbergii receptum est. Nec Weissenbornium nec alium quemquam praecedentium offenderat, quod est in cdd., *fuerit*. Omnes docent, ubi actio iterata in sententia primaria imperfecto enuntietur, secundariam, quae et ipsa vim habeat iterativam et quibusdam coniunctionibus aut relativis generalibus adnectatur, pro ratione temporis aut imperfecto aut plusquamperfecto expressam, apud Livium multo saepius, quam apud antiquiores, coniunctivum habere: ubi vero sententia principali praesenti tempore expressa de eo dicatur, quod iteretur fierive soleat, atque aut praesens sit in secundaria aut, si, ut saepissime fit, actio huius tempore prior cogitetur, perfectum illas coniunctiones vel pronomina sequatur, num in huiusmodi quoque enuntiatione adiuncta coniunctivus legitimus sit, nova est quaestio. Exempla huius generis, ut sunt rariora, sic etiam minus explicari solita sunt. Si plusquamperfecta et imperfecta coniunctivi apud Livium frequentissima sunt (vid. Kuehnast p. 237, Draeger II § 551), iam per se credibile atque ad fidem pronum est etiam in perfectis et praesentibus eum ab usu coniunctivi non abhorruisse. Cuius quidem rei, si quid valent codices et praeteritarum aetatum iudices litterati, hoc ipso loco exemplum exstat certissimum. Qua de structura verborum ut in praesenti aliquid addam, e Caesaris de bello Gallico libris aliquot exempla promam. Nemo negat eum 6, 11 de principibus factionum Galliae haec scripsisse: suos quisque opprimi et circumveniri non patitur, neque, aliter si *faciat*, ullam inter suos habet auctoritatem; negant vero recentissimi editores eum 6, 19 de bonis virorum et uxorum apud Gallos administrandis haec, ut omnes cdd. habent, scripsisse: Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur: uter eorum vita *superarit*, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Multa sunt inprimis in libro sexto exempla huic similia, in quibus vehementer discrepant classes codicum, ac notabile est Aimoinum illum in excerptis ex codice aliquo Caesaris saeculo decimo factis constanter coniunctivum tueri. Quo tempore secundae classis codices ceteris praeferebantur, multa huiusmodi exempla e qualibet editione depromi poterant, velut ex Baumstarkii (Friburgi 1832): 4, 1 Reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt, 4, 33 cum se inter

equitum turmas insinuaverint, ex essedis desiliunt et pedibus proeliantur, 6, 17 quae superaverint animalia capta immolant, 6, 18 suos liberos, nisi cum adoleverint, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur, 6, 22 gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum et quo loco visum est agri attribuunt, 6, 23 qui quaque de causa ad eos venerint, ab iniuria prohibent sanctosque habent, 6, 27 (de alcibus) neque, si quo afflictae casu conciderint erigere sese possunt.. Huc cum se consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt atque una ipsae concidunt, 6, 28 neque homini neque ferae, quam conspexerint, parcunt. Haec sufficiant, ut moneatur illum sermonem pervagatissimum utique esse recognitione dignum. Ad primum illud exemplum haec exposuit Baumstark: »*manserint*, Conjunctiv, als Modus der Unbestimmtheit: die Uebrigen, soviel ihrer jedesmal zu Hause geblieben seyn mochten. Es war nämlich bloss die Zahl der Ausziehenden bestimmt, die der Daheimbleibenden dagegen nicht»; ad secundum autem, quae sequuntur: »*insinuaverint*, Conjunctiv, wie im Griech. der Optativ, zur Angabe wiederholter Ereignisse, wie 1, 25 cum ferrum se inflexisset. Also hier: jedesmal wenn sie sich zwischen die Reiterhaufen hinein gewunden, gedrängt haben».

32, 11 *rerum, litium, causarum*, trimembri oratione demptis coniunctionibus dissolute ac sollemniter dictum caesae illi orationi trimembri *(dari, solvi, fieri)*, qua in fine sententiae graviter et accurate repetitio fit, aptissimum est. Respicit autem *causarum* praecipue eum fructum, quem ex r e b u s raptis, de quibus l i t i g a b a t u r, percipere posset is, qui petebat. Sequitur pari modo in formula fetiali § 13 *censuit, consensit, conscivit.* Cf. Cic. Att. 16, 16, 8 quibus (Buthrotiis) et lege et senatus consulto permissum erat; ut de Caesaris actis *cognoscerent, statuerent, iudicarent.* Ib. § 11 quae lex earum rerum, quas Caesar *statuisset, decrevisset, egisset,* consulibus cognitionem dedit. Liv. 38, 34, 2 qui ibi mansissent, eos *prendendi, abducendi, vendendi* Achaeis ius esset. Rarior structura est in vetere hac formula condicere alicui alicuius rei (i. e. dicendo denuntiare), facta ad similitudinem verborum iudicandi, velut 26, 3, 9 Sempronius perduellionis se iudicare Cn. Fulvio dixit, ibm § 7 capitis anquirere. Cf. Collatio codicum p. 84.

Ib. *solvi, fieri* primus in contextu scripsit Alsch., quod esse in Harl. I. minus diligenter adnotaverat Drakenborch (iam enim apertum est ordinem membrorum commemorantem eum ad singula verba minus animum intendisse); secuti sunt Weissenborn et Madvig, ille tamen postea deseruit atque in utraque editione id, quod habent cdd.

et edd., *fieri, solvi*, revocavit; denique ad prius illud rediit Mueller. Nam *solvi fieri* ad praecedentium ordinem *nec solverunt nec fecerunt* magis quadrat, quam ob causam, quo tempore hoc membrum posteriorem locum nactum erat, intactis infinitivis praeterita ad eorum ordinem accommodavit Gruterus, *nec fecerunt nec solverunt* (in Collatione mea p. 30 v. 6 a fine delendum *Grut.*, reponendum in versu sequente ante *Gron.*), qui ordo usque ad Alsch. mansit. Transpositionis autem originem dederat in archetypo codice transalpinorum usitatus transitus in alterum simile (quas res ... quas res). Quae praetermissa erant verba, iam in F Bamb. U posteriore loco addita sunt, in P desunt omnino, sicut etiam in edd. 1. 3. 5. 6., quae e codice Parisiensis similiore fluxerunt.

32, 12 *hastam ferratam aut praeustam sanguineam* mutato ordine duorum ultimorum, »ut sanguineam ad utramque pertineat«, Madvigio »nunc probabilius videtur« quam, quod olim magis probabile ei visum erat, sanguinis mentionem a lectore aliquo moris diu servati gnaro additam esse, quamobrem in priore ed. vocem sanguineam suo loco relictam uncis inclusit. Etiam Queckio haec sententia praeferenda videbatur, sanguineam pro additamento esse habendum. Si vero duplices illas scripturas, quae manifestis correctorum additamentis ortae sunt, contemplati erimus, longe aliter eas comparatas esse inveniemus, quippe quibus magna ubique prodatur ignorantia, nusquam doctrina aut antiqui moris recordatio. Equidem de hac re sic iudico: quemadmodum 14, 7 virgulta *densa obsita* dicuntur, quae obsita erant eademque densa, ita hoc loco hasta *sanguinea praeusta* vocatur, quae praeusta erat eademque sanguinea, quare is ipse ordo verborum plane rectus esse videtur, dummodo seiungantur haec verba, sicut particula *aut* seiuncta sunt, a proxime praecedente; rem enim e veritate describens Livius, ut monet Weissenborn, aequabilitatem membrorum minus curavit. Hastam infectam sanguine more Romano in bello indicendo coniecisse fetialem docet Amm. Marc. 19, 2, 6, et sanguine cruentatum *τὸ δόρυ τὸ αἱματῶδες* fuisse apparet, quod ad hostium terram versus iaculatum esse Marcum Aurelium narrat Dio Cass. 71, 33; sed est sanguineus etiam colorem sanguinis referens, ut 25, 7, 8 visus est sol rubere solito magis sanguineoque similis, Virg. Aen. 10, 272 Non secus ac liquida si quando nocte cometae Sanguinei lugubre rubent, Ecl. 10, 25 Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi Sanguineis ebuli bacis minioque rubentem, Plin. n. h. 14, 3, 37 folia prius quam decidant sanguineo colore mutantur, ib. 16, 18, 74 sanguinei frutices. Iam per se hasta ferrata, sive ferro praepilata, etiam si sanguine non illita erat, belli cruenti significa-

tionem habebat, sed hasta praeusta, i. e. adurendo cuspidata, tum demum atrox bellum minabatur, si vel ex arbore coloris sanguinei facta erat vel sanguine infecta.

34, 6 *Roma est ad id potissimum visa*, quod est in cdd., a plerisque editoribus tacite retinetur, a Rupertio ita explicatur, ut *visa* sit »lecta (ausersehen) vel petita« (quod esse vult spectata), etiam a Weissenbornio vi eminente »placuit: gefiel für diesen Zweck, schien zu demselben geeignet«. Praegnans, quae dicitur, vis verbi videndi imaginaria est in talibus dictis, quale est 1, 47, 8 ut iam agendae rei tempus visum est; in quo dicto non visum est, sed tempus auctam vim habet, i. e. tempus opportunum. Sall. Iug. 94, 1 Sed ubi ex praecepto tempus visum, i. e. tempus idoneum discedendi. Etiam in usu impersonali verbum aliquod supplendum est, ut 23, 34, 14 mitteret cum imperio, quem ipsi videretur (intell. mittendum esse), 33, 26, 3 Fabio et Minucio.. consules legiones singulas ex quattuor ab se scriptis, quas videretur, ut darent decretum est (i. e. quas dandas esse videretur). Nec aptiora exempla allata sunt: itaque illa interpretandi ratio hoc loco incommoda est. Aliam viam ingressus est Gronovius: »Scribe: Roma est ad id *potissima* visa, i. e. commodissima ad eam spem persequendam«. Audacius Heumannus *aptissima* substituere voluit; *potissimum apta* coniecit Buettner. Ad verbum, quod est *habere*, apponitur quidem a Livio praedicative *potissimus* (8, 33, 16. 22, 7, 4), ubi tamen minime est »commodissimus«, vel *primus ac potissimus* (5, 12, 12. 26, 40, 1. cf. Sall. Iug. 94, 2). Videant ii, quibus coniectura Gronovii placet, num et dicatur pariter *videri* potissimum et eodem sensu quo videri commodissimum. Verum ne id quidem sufficiet. Namque pro certo statui potest, si ab initio scriptum fuisset Roma est ad id potissima visa, non futurum fuisse, ut omnes qui describerent, potissima visa in potissimum visa mutarent. Adiectivum aliquod excidisse verisimile visum est Freudenbergio, Weissenbornio, aliis, et quidem id, de quo cogitasset Buettner, non tamen eodem loco ii ponere voluerunt. Ac sane et locus is fuerit, necesse est, et forma talis adiectivi omissi, ut causa omissionis intelligatur. Ponamus igitur a Livio scriptum *Roma est ad id opportuna potissimum visa;* bina tum erant *o*, *p* accedente *t*, a quibus litteris facile aberravit oculus ad initium verbi sequentis *pot*, idque factum est, quod in simili re fieri solet, ut praetermitterentur syllabae interiacentes.

34, 12 *bello* eadem vi atque in bello vel belli tempore et solum et cum aliis nominibus coniunctum in usu versatur. Frequentia sunt apud Livium eo bello, Pyrrhi bello, bello Latino, similia. Cic. Phil.

8, 1, 3 bello vacationes valent, tumultu non valent. Liv. 23, 12, 11 res bello bene gestae pacem nobis aequiorem dabunt, 2, 1, 3 res pace belloque gestas peragam, 7, 1, 9 fuit M. Furius vere vir unicus in omni fortuna, princeps pace belloque, 24, 1, 13 societas eo iure staret, ut Poenus Locrensem Locrensisque Poenum pace ac bello iuvaret, 9, 26, 21 P. Philo post res tot domi belloque gestas causam dixit absolutusque est. Cic. Off. 2, 5, 16 perspicua sint illa.. neminem neque ducem bello nec principem domi magnas res sine hominum studiis gerere potuisse. Sic enim habent cdd. optimi ac plerique, *belli* autem pauci, quos »mendose fidelibus« annumerat Zumpt. Ut ibi de cursu praelucentium codicum deflexerunt complures editores, sic etiam praesenti loco Liviano fuerunt, qui ad illud usu tritissimum belli domique allicerentur. Est utique res raras inventu exstirpandi quoddam desiderium admirabile.

35, 1 *Eo magis* non a principio fuit in RD: imitationes enim, quas feci utriusque codicis, accuratius inspiciens atque inter se conferens pro certo statuere ausim primitus in utroque scriptum fuisse *Co*, idque in *Eo* mutatum, postea in R *cū* ante *Eo* additum; quid in D scriptum fuisset in rasura, discernere nequivi. Accedit quod non solum in his, sed etiam in MFP Bamb. sequitur *instaret;* quam lectionem opinatur Drakenborch interpolatam esse a librario, qui locutionem infinitivo enuntiatam ferre non posset. Sed infinitivo historico satis assueti librarii parcere solebant, nisi alia mutandi causa accederet. Quae quidem tali modo hic accedere potuit: si scripsit Livius *Quo magis Tarquinius instare* (cf. Cic. Fin. 3, 2, 4 Quo magis hoc philosopho faciendum est), et *Comagis* existere potuit, nam *qu* in *c* saepissime mutabatur, et *Quom magis*, nam antiquitus non cum, sed quom scribebatur, et *Cum magis*, usitatioribus litteris scripta coniunctione, quam sibi finxerant, et *Cum eo magis*, quod etiam in L esse dicitur; hocce vero Cum vel Quom non *instare* pati, sed *instaret* postulare videbatur, quod cum etiam in optimo quoque manserit, labem istam tam antiquam fuisse suspicor, ut etiam in MFP, sive iis cdd., ubi iam nihil nisi *eo* restat, coniunctivus ille efficeretur. Sin contra ab initio fuisset Eo magis T. instare, nec in primis litteris nec in postremis eas, quas videmus, mutationes umquam consecuturas fuisse existimo. Cf. 2, 51, 1 Cum haec accepta clades *esset* cdd., ubi *est* scripsisse Livium apertissimum est.

35, 3 *quod quisquam* cet., i. e. non fuit, quod quisquam indignari mirarive posset, cum non primus Romae peregrinus regnum adfectaret. Cum igitur sententia sit negativa, non est cur, ut nonnulli volunt, quisquam mutetur in quispiam, quod bis invenitur apud Li-

vium (8, 30, 9 et 23, 3, 10), a quo interdum etiam in sententiis, quae non sunt negativae, quisquam vi restrictiva usurpatur, velut 3, 38, 9. 25, 6, 17. Nec mutanda est scriptura codicum »quod quisquam indignari mirarive *posset*» intellecta hypothesi si primus essem; cf. quae supra dixi ad Praef. 5 sollicitum tamen efficere posset.

36, 4 *augurio* iam Tan. Faber intellexerat legendum esse (cf. augurio acto Cic. Div. 1, 17, 32) pro eo, quod est in cdd., *in augurio* vel *inaugurio* (quae confusio solita ad novum prorsus nomen fingendum suffecit Duiatio), aperto errore ortum propter ea, quae praecedunt, inaugura et inaugurato; neque eo minus istam vocem a Gronovio semel probatam, quamvis molestam invenerint, tolerant etiamnunc multi interpretes, ad quam explicandam frustra utique in auxilium vocant locos, qui cum hoc minime conferendi sunt, 24, 8, 13 et 4, 35, 9.

36, 7 *mille et octingenti* idem est numerus, qui, si antiquam scripturam intelligimus, de eadem re invenitur Cic. Rep. 2, 20 p. 38, ubi ex palimpsesto ·∞· ACCC· refert Angelus Maius, quod in contextu (Romae 1846) minus feliciter exprimit ·∞· *ac* CC, »ita ut prior C sit littera, reliquae sint notae numerales», laudatque coniecturam Glareani et Salmasii, qui hoc Livii loco MCC legendum docuissent. Id mendum haud rarum est, quo, ubi varia forma litterarum scriptum fuerat DCCC vel simile, id in *ac* CC mutatum est. Saepe autem numeri quingenarii nota, quae librariis erat incognita, omissa est, cuius rei unum ex cdd. Livianis afferam exemplum, 26, 38, 11 ubi sic est in cod. Put.: Blattius ... pervicit ut praesidium punicum autem numidae erant salapiaquae traderetur marcello. At in narratione Valerii Maximi 3, 8 ext. 1, ubi cetera a Livio mutuatus est, haec sunt de Blattio: Marcello Salapiam et quingentos Numidas, qui in ea custodiae causa erant, tradidit. Itaque recte iam Sigonius monuit apud Livium legendum esse: quingenti autem Numidae erant. Si idem eo loco, de quo quaerimus, accidisse in cdd. longe plurimis statuitur, in numero omnes consentiunt. Atque is numerus — MDCCC inquam — ita probabilis erit, si credimus Livium hic alium auctorem, quam c. 13, 8 et 30, 3, secutum esse, ac meminerimus, quaecumque de equitatu procedente tempore aucto narrentur, ita in antecessum composita esse, ut ad octodecim illas centurias equitum a Servio Tullio institutas spectarent. Vid. Schwegler Röm. Gesch. I p. 690.

39, 1 *visu* praeter cetera mirabile id prodigium in iis, quae sequuntur, describitur: quamobrem hoc ab initio apte indicabatur. Hoc enim dicitur: Eo anno in regia prodigium fuit, sicut 10, 23, 1 Eo

anno prodigia multa fuerunt; recedit vero paululum illud, quod additur, visu eventuque mirabile. *visu* est etiam in edd. Frob. Drak. Crev. aliisque antiquioribus, *visum* in l. 3. Mog. Sob. In proclivi fuit coniungere prodigium visum.

39, 3 *Viden tu*, remota scriptione *Videsne tu*, quam ab initio omnes edd. servaverant, primus in orationem recepit Gronovius haec adnotans: »Flor. *Viden tu puerum hunc?* Alterum subiecerunt interpretes. Infra hoc libro *Satin salvæ?* lib. 2. *Satin magnam spreti numinis haberet mercedem?*» Receperunt Gronovii lectionem sequentes apposita post n apostropho a plerisque. Cum Florentino apud Gronovium stare Leid. I. ait Drakenborch, pergit Alsch.: »*viden tu:* M m. 2. Leid. I. *uidin tu:* M m. 1. *uidisne puerum:* P. m. 1. *uidesne puerum:* P m. 2». Leid. 1. accuratius inspiciendus est, nam consentire solet cum RD, qui habent *uidine tu*, quae ipsa est vera scriptura Medicei (nisi quod habet *tū*): fugit enim Alschefskium *e* post *uidin* radendo deletum esse; quod quis fecerit alterumque *i* in *e* mutaverit, ignotum est; si vulgaris illa m. 2. sit, arbitratu ipsius factum esse puto. Gronovius, qui hunc codicem Florentinum appellat, mutatam scripturam pro nativa acceperat. Indiligenter Alsch. P m 1. describit; nam in prima scriptura exitum habet versus in *.uidi*, incipit sequens a *puerum*, utrobique (ex more illius librarii) relicta lacuna, in qua nulla cernitur rasura, sed *uidi* in *uide* mutavit et *s* addidit m. 2., eademque ad initium versus proximi *ne* apposuit in lacuna, qua demum facta mutatione P cum ceteris transalpinis congruit, qui a reliquis omnibus eo differunt, quod pronomine *tu* carent. Contra in cisalpinis antiquis *s* elisum est et *uidi* scriptum pro *uide*, quod tamen in M et D restituit m. 2. Ut brevi praecidam, si primariam cisalpinorum antiquorum lectionem sequi oportet, *uidine tu puerum* scribendum erit, si transalpinorum, *uidesne puerum*, si reliquorum omnium, *uidesne tu puerum*, quod ipsum *videsne tu* alibi apud Livium reperitur, nam 6, 29, 1 et 7, 34, 4 sic legitur consensu codicum, ne Gronovio quidem contendente subiecisse hoc interpretes, declarante autem suo more Drakenborchio »nihil mutandum». Neque ex aliis prosae orationis scriptoribus, quod sciam, loci prolati sunt, ubi in illo verbo elisa esset littera s et vocalis particulae encliticae omissa. Itaque aequabilitas locorum Livianorum non sine iusta causa tollenda. Analoga quidem exempla adfert Gronovius satin salve 1, 58, 7 et satin magnam cet. 2, 36, 4, cuius generis sunt plura: satin salve 3, 26, 9. 6, 34, 8. 10, 18, 11. 40, 8, 2, satin aequo animo paterentur 10, 41, 13. Poterat etiam aliam comparationem adhibere: est enim apud Livium 10, 25, 6 »Ain tandem? (aintandem P), in-

quit, num castra vallata non habetis?» in alloquio ad plures oblitterata propria significatione. Idem, ut sermone communi tritum, est in epistolis Ciceronis Fam. 9, 21, 1, Att. 6, 2, 8, quinetiam Legg. 3, 6, 14. Similiter Ain vero? Rep. 1, 13, Ain tu? Att. 4, 5, 1. 6, 1, 12. 12, 6, 2. Haec est interpretatio Pauli Manutii: »Ain tu' et Ain tandem? dicimus, interrogantes ea de re, quae admirationem nobis attulit». At *viden* et *viden tu* poetarum proprium esse videtur, ut Virg. Aen. 6, 779. Ter. Heaut. 2, 3, 11. Sil. It. 12, 713. Pari modo Vin tu? Hor. Sat. 1, 9, 69. E contrario Cic. Ac. pr. 2, 18, 57 Videsne ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? Dicit Plautus Amph. 1, 3, 41 Pergin autem? nonne ego possum, furcifer, te perdere?, at Cic. Rep. 1, 13 Pergisne eam, Laeli, artem inludere?

Pertinet igitur maxime ad poetas elisio illa et omissio, tamen ita, ut quaedam, non quaelibet, illius generis verba etiam apud solutae orationis scriptores inprimis in familiari sermone in usum venerint. Iam si Tanaquil Tarquinium sic allocuta sit: Viden tu puerum hunc, quem tam humili statu educamus?, exspectandum erat 7, 34, 4 P. Decium dicturum fuisse: Viden tu, A. Corneli, cacumen illud supra hostem? et vice versa.

39, 4 *quod diis cordi esset*, i. e. ut quod diis cordi esset. Quod diis cordi esse iam prodigio erat declaratum, id, ut exspectandum erat, evenit: quid vero ita evenerit, mox enarratur. Quinam eventus fuerit prodigii studiique auctioris in Servio erudiendo collocati, summatim praenuntiatur, deinceps pluribus verbis exponendum. Nonnulli *esset* in *est* mutant, ut sit generalis sententia separata ab antecedentibus et ab iis, quae proxime sequuntur.

39, 5 *Tarquinii in domo.* Cf. 39, 13, 3 in domo gravissimae feminae et cum consule loqui, Nep. Alc. 3, 6 in domo sua facere mysteria dicebatur, Lys. 3, 5 Oratio post mortem in domo eius reperta est, Tac. Ann. 1, 39 vexillum in domo Germanici situm, Suet. Caes. 83 in Antonii domo, Curt. 7, 5 meministi dixisse te multos integros iuvenes in domo tuae matris abscondi. Itaque domus, ubi non universe domicilium significat, sed aedes ipsas, in quibus quis habitare solet, eadem ratione, qua quodlibet aliud nomen cum genitivo vel pronomine vel adiectivo iungitur. Sic etiam ubi familia significatur, ut § 6 ut in domo a parvo eductum, 3, 19, 4 ut in perdita domo regnare, 3, 50, 9 non esse iam Appii libidini locum in domo sua, Nep. Alc. 2, 1 educatus est in domo Periclis, Cic. Att. 2, 7, 3 in domo Caesaris quondam unus vir fuit, Phil. 2, 3, 6 omnes impuritates pudica in domo quotidie suscepit, Cat. m. 11, 37 vigebat in illa domo mos patrius et disciplina, Curt. 10, 23 In eadem

domo familiaque imperii vires remansuras, Vell. 2, 100 foeda dictu in ipsius domo tempestas erupit.

Habent cdd. *Tarquinii domo*, sed Bamb. *tarquilini domos;* »fortasse hoc indicium est initio *in domo* scriptum fuisse«, ut bene monet Heerwagen; quod primus in textum recepit H. I. Mueller; *in* ante *Prisci Tarq.* collocaverant Gruterus et alii (iam video in ed. Basil. Curionis 1549) ante Drakenb. (quo loco *in* excidere vix potuit); in plerisque edd. et antiquis et recentioribus deest praepositio; Madvig domo in *domi* mutavit.

40, 2 *non modo vicinae*, ut Numam; nam incola ille ab Tarquiniis (4, 3, 11) ibi quoque peregrina stirpe oriundus erat (1, 34, 1). Iubet Gronovius: »Lege cum Mss. et Aldo: *non modo civicae*« cet., eique multi paruerunt. Sed advena qui appellatus esset, civicae originis non fuisse, haudquaquam opus erat monere. Addit Gronovius: »Hoc ipsum dicit lib. 4. (4, 3, 11) *deinde Tarquinium non Romanae modo, sed ne Italicae quidem gentis*«; ibi vero post haec verba sequitur in gradatione *Demarati Corinthii filium, incolam ab Tarquiniis*, quod idem certe valet atque *advenam*, quamobrem si antecessissent illa, ne ibi quidem continuaturum fuisse credo Livium »non *Romanae* modo«, sed »non *vicinae* modo«. Ceterum apud Livium est civica corona (6, 20, 7. 10, 46, 3), sed de origine dicit Romanae gentis (stirpis) aut civis Romanus (4, 3, 10). Quam ob causam hoc, qui adest, loco *civicae* nonnulli in *civem* correxerunt. Quod per metathesin praebet cod. Bamb. *ciuine*, id in aliis prorsus *ciuice*, quemadmodum 6, 5, 8 ex nouis uicibus M (pro ciuibus), 6, 31, 8 tectis agrorum ciuisq. exustis R (pro uicis). Itaque in ea re non est nimis fidendum codicibus. Quod denique ad ed. Aldinam (1518) attinet, ea inter Errata notatum habet hoc loco legendum esse *non modo uicinæ*, quod etiam tenent edd. Mog. Frob. ceteraeque ante Gron.

Ib. *tum impensius* cet., tum, inquam, Anci filii, quorum iam antea magna fuerat indignatio, etiam magis indignabantur. Quod e duobus Mss. a se repositum laudat Ruperti, *tamen* (pro *tum*), in secundam ed. recepit Madvig, quasi satis sit monuisse sic esse in cod. Harl.

40, 3 *quod Romulus*, coniectura Madvigii primum in ed. Ingerslevii promulgata, deinde a multis recepta, non tamen a Weissenbornio, cuius haec est interpretatio: »Da *in eadem civitate* vorangestellt ist, so scheint Livius eine andere Form, etwa *in eadem civitate, in qua Romulus — tenuerat regnum* etc. beabsichtigt, diese aber aufgegeben zu haben, um zwei Gedanken zusammen zu fassen, neben der Grösse der Veränderung, *id regnum — quod — tenuerit*

— *possideat*, die durch den Gegensatz nicht der Personen, sondern der Verhältnisse derselben: *deo prognatus deus ipse* gegenüber *Servius serva natus* bezeichnet ist, zugleich die Kürze der Zeit: *centesimo anno quam* etc. hervorzuheben». Iudice Kuehnastio in commemoranda temporum illa, quae vocatur, repraesentatione (p. 222) Madvig praecedente *post* hic scripsit *quod* »ohne irgend haltbaren Grund». Bene se habet illud pronomen in hac interpretatione Drakenborchii: »Eo insignior erat iniuria, quam Tarquinius nomini Romano inferre volebat, quo brevius videretur spatium, intra cuius ambitum tantopere regia maiestas Romae eius culpa eviluerat, ut regnum, quod Romulus, Deo prognatus, Deus ipse, tenuerat, transferretur in servum, serva natum». Alia autem ratio est, ubi *post* cum accusativo spatium temporis (interiectum tempus) indicat, et terminus, a quo numeretur, quaeritur: nam aut antecedunt ea, quibus ille appareat, aut adnectuntur adhibita coniunctione *quam:* velut 6, 1, 12 quod postridie idus Quinctiles non litasset Sulpicius neque inventa pace deum post diem tertium obiectus hosti exercitus Romanus esset, cet.; 37, 13, 7 Romanae naves ... Samum traiecerunt. Eodem et Rhodia classis post dies paucos venit; 36, 27, 2 post paucos dies quam ad bellum renovandum .. miserant legatos. Pari modo eo loco, de quo iam agitur, in omnibus cdd. est *quam Romulus* cet., qui si tollitur terminus, nihil est, ad quod apte referantur illa *post cent. fere annum.* Inaequale enim est hoc: Servus post centesimum annum id regnum possidet, quod Romulus tenuerat. Si non »*id* servus serva natus possideat» scriptum fuisset, sed »*idem regnum Romuli* servus serva natus possideat», vix umquam de hoc loco emendando quaestio facta esset. At id ipsum sola voce *id* dictum voluit scriptor.

40, 4 *et quia*, ubi auctoribus Sauppio et Gronovio alii *et cum* scribunt, alii *et* omisso altero. Videtur haec sententia ita esse interpretanda: *Sed* non Servius aggrediendus esse iis videbatur, nam *et* praeteriti temporis iniuriis maiore in Tarquinium odio erant incensi, *et* reputantes, quid caede facta esset exspectandum, ob eam causam in regem ipsum potissimum ferebantur, *quia* is superstes gravior ultor futurus esset; *tum* amoto primo genere non defuturum regni heredem: adeo caedem Servii et periculosiorem fore et inutilem.

40, 5 *quam potuere tumultuosissime specie rixae*, i. e. in speciem rixantes quam potuere tumultuosissime rixam facere, seu quanto maximo potuere tumultu altercari se atque inter se confligere simulantes. Alii in hunc modum verba inter se coniungenda esse puta-

runt: quam potuere tumultuosissime in se omnes apparitores regios convertunt; quod cum »vix recte« dicatur, »quam potuere tumultuosissimae specie rixae« scripserunt.

40, 7 *Cum* inrepsit, ubi, ut est in cdd., *Dum* scriptum oportuit. Non solum eodem tempore factum, sed etiam res contraria significatur. Similiter 2, 47, 5 dum praedae magis quam pugnae memores tererent tempus, triarii Romani — proelium renovant. Opponitur alius locus, alia sedes belli 10, 18, 1 Dum ea in Samnio — gererentur, Romanis in Etruria interim bellum ingens multis ex gentibus concitur. Ubi sequitur coniunctivus pariter atque 6, 1, 6 cum civitas in opere — teneretur, interim cet. Etiam alio significatu dum ad similitudinem alterius coniunctionis eadem structura accedit 39, 49, 8 clauserat portam turba, dum pro se quisque, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro comperta tantam rem habiturus videretur. Ad hoc Crevier: »Magis placeret *videtur:* ac vix dubitamus sic scripsisse Livium. Nisi loco *τοῦ dum* legendum est *cum*«. Quod probant Drakenborch et Madvig. Locis supra allatis dum in cum mutatum est a Gronovio et Madvigio. Cf. Virg. Aen. 1, 5 Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, Georg. 4, 457 dum te fugeret, hydrum — non vidit in herba. Phaedr. 1, 4 Canis per flumen carnem dum ferret natans Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.

41, 3 *mea consilia:* tua consilia torpent, mea non torpent consilia, destitus consiliis consilia a me pete. Quod genero deesset, id ipsum a socru abunde dari. Non est inanis macrologia. Tum propter emphasin tum perspicuitatis causa Livius saepe in eadem periodo voces, quae praecesserunt, repetit, quaeque, si abessent, facile ex ipso nexu orationis suppleri possent. 3, 54, 8 qua hic modestia fuistis, ubi nullius ager — est violatus, eam modestiam ferte in urbem. 3, 54, 3 Appius — odium in se aliorum suo in eos metiens odio. 2, 7, 2 silentio noctis — ingentem editam vocem, Silvani vocem eam creditam. 2, 31, 3 Post pugnam ad Regillum lacum non alia illis annis pugna clarior fuit. 3, 31, 6 Nec haec priorum calamitas consulum segniores novos fecerat consules. 3, 37, 4 duae tabulae legum ad prioris anni decem tabulas erant adiectae. 21, 21, 9 Herculi vota exsolvit novisque se obligat votis. 23, 37, 10 Quibus diebus Cumae liberatae sunt obsidione, iisdem diebus et in Lucanis Sempronius prospere pugnat. 8, 11, 13 Latinus ager Privernati addito agro et Falernus plebi dividitur. 9, 24, 11 Trepidi magistratus missis ad arcem exploratoribus, cum armatos tenere arcem multiplicato numero audirent, avertunt animos a spe recuperandae arcis. Ut eo, qui nobis adest, loco repetitio vocis consilia Modium, Gruterum, alios hodie

viros doctissimos offendit, sic cum aliis locis tum 1, 53, 4 ad verba illa: propinquam urbem nequicquám vi adortus, cum obsidendi quoque urbem ctt. »dele fidenter postremam vocem» iubet Gronovius. Nonnumquam deterior pars codicum criticis adsentitur, ut 28, 23, 6 perfugae a Gadibus venerunt pollicentes urbem Punicumque praesidium, quod in ea urbe esset — prodituros esse. »Dispunximus ablativum *urbe*», Rhenanus. »Non male *urbe* cancellat Rhenanus», Gronovius. »Id Gronovio non aliam ob rationem displicuit, quam quod modo praecessit», Drakenborch. Iam omissum in quibusdam cdd. refert Luchs, neque eo minus servat.

41, 4 *versas* primum conspicitur in ed. Frob. tacente Rhenano de Vormaciensi. Itaque credo illum, ut ceteros cdd. a me vel Drakenb. lectos, habere *versus*, quod etiam vidi in edd. 1. 3. Ald. Mog. Sob. Tamen scriptura Frobeniana per tria saecula intentata mansit, donec Alsch. antiquiorem illam vindicavit, quem secutus est Weissenb. in primis edd., at in quinta Weidmanniana versas restituit, in Teubneriana eiusdem anni non item. Recentiores vero omnes *versas* tenent; quod quidem cum alio quodam loco Liviano unice congruere monuit Drakenb.: haec enim de Perseo leguntur 40, 7, 8 ex parte superiore aedium versisque in viam fenestris comissatores — aditu ianuae arcet. Attulerunt Gronov. et Drakenb. ad 36, 15, 7 alia quoque exempla concinentia, ac firmissima sane esset illa lectio, nisi codicum repugnantia scrupulus iniiceretur. Rectene autem dicitur Tanaquil populum ex superiore parte aedium per fenestras in Novam viam *versus* adloqui? Triplex igitur est loci descriptio: ex sup. parte aedium, per fenestras, in N. viam versus. Singula quidem per se ad verbum adloquitur referenda sunt, tamen ita cohaerent, ut, nisi primum et secundum praecederent, tertium suspensum et obscurum esset, vel, ut ait Madvig in ed. priore, ridicule diceretur. Iam vero quaeritur, utrum potius sit describendus situs fenestrarum, an narrandum, quam in partem Tanaquil ex superiore parte aedium per fenestras populum adloquens se converterit. Hoc quidem non minus aptum videtur. At altera iam oritur quaestio, num praecedente *in* ita recte addatur *versus*, ut nihil aliud sit nisi adverbium, quo notio directionis clarius et distinctius exprimatur. Esse enim illud cum praepositionibus in vel ad coniunctum proprie participium constat, velut 9, 2, 15 milites ad praetorium versi opem ab ducibus exposcunt, 1, 18, 6 ad meridiem versus consedit. Cic. Lael. 25, 94 Is primus instituit in forum versus agere cum populo. Plin. n. h. 10, 43, 60 Is (corvus) mature sermoni adsuefactus omnibus matutinis evolans in rostra in forum versus — transeuntem populum Ramanum salutabat.

Nonnumquam vel pro participio vel pro adverbio haberi potest, ut Cic. Fam. 4, 12, 1 ille, ut aiebat, supra Maleam in Italiam versus navigaturus erat. Alibi evidens est adverbium, ut Fam. 8, 15, 2 Quodnam ob scelus iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit? Caes. b. G. 6, 33 Labienum ad oceanum versus in eas partes — proficisci iubet. Sall. Iug. 58, 4 animadvortit fugam ad se vorsum fieri. Plin. Ep. 10, 82 si in urbem versus venturi erunt. Vell. 1, 15 Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit. Curt. 4, 31 (7, 18) In meridiem versum Arabes spectant. Auctor b. Hisp. 18 se deducerent ad mare versum, b. Afr. 37 iubet omnes legiones ex castris educi atque se consequi ad oppidum Ruspinam versus. Cuius generis exempla vix plus quam singula apud singulos scriptores inveniuntur, itaque si vel hoc unum, quod adest, in Livii cdd. certum est, id aequi bonique faciamus. Ceteri nonnulli quartae decadis loci in dubium vocari possunt. Nam 38, 51, 3, ubi hodie legitur: »hoc Graeciae Asiaeque et omnibus ad orientem *versis* regibus gentibusque appareret«, Heinsius, Duker, Crevier scripturam Gronovianam *ad orientem versus* in patrocinium susceperunt, ac *versis regibus* per speciosam congruentiam facile ortum est in cdd. Si denique ed. Frob., quae in hunc locum, de quo disseruimus, tantam vim habuit, eandem 36, 15, 7 retinebit, legendum certe erit: Ante saltum Thermopylarum in septentrionem *versus* Epirus . . est. Quam scriptionem illius tuentur edd. Basilienses (1543 sqq.), Francofurtenses, Gruterus, Giovenazzi et fortasse alii, sed vulgo scribitur *versa* Epirus.

41, 7 *iam tum, comprensis sceleris ministris ut vivere* cet. optimorum cdd. est scriptura eademque edd. antiquiorum, nisi quod in multis cdd. reduplicatione haud insolita *cum conprensis* scriptum est, atque in edd. plerisque (Frob. cett.) iam tum *comprehensis* sceleris ministris, ut vivere cet.; sed recentiores plerique editores *cum* istud tenent, *ut* eiiciunt. Vid. Collatio codicum pag. 84.

Postquam initio huius capitis dictum est pastores, qui regem interfecissent, statim comprehensos esse, eo processit narratio, ut mors regis non iam celaretur, et Servius voluntate patrum regnare coepisset. Sequitur hoc: Anci liberi iam tum exsulatum ierant; tempusque, quo id factum esset, ita accuratius definitur, ut, simulac comprehensis sceleris ministris vivere regem et tantas esse opes Servii nuntiatum esset, exsilium sibi conscivisse dicantur.

43, 3 *in bello offerrent* si, ut opinor, scriptum fuit, facile hoc: *in bello ferrent*, quod praebent cdd., ortum est; subsequens enim eadem, quae praecesserat, vocalis saepissime exsorbebatur, quo nixa consona deperibat; cuius rei ut exemplum vicinum adferam, 58, 10,

ubi scripserat Livius *me etsi*, excidit alterum *e*, quo facto *t* evanescente exstitit in cdd. cisalpinis vulgaribus *me si*. Ut omissa vocali peribat consona, sic aliena vocali superveniente in eodem verbo ferendi f geminatum est 1, 23, 7, ubi pro *prae te ferre* M habet *praet efferre*. Exstirpatio illa alterius vocalis nonnumquam graviorem labem effecit; quo modo 4, 14, 7 *estob* in libro rescripto Veronensi indicio esse suspicor genuinae scripturae »*esto ob* liberatam rem publicam«. Dissoluta autem praepositione, cuius tantum in antiquissimo illo codice vestigium mansit, accusativus quoque, qui ea regebatur, dilapsus est. Interdum verbum proximum idoneum erat, cui consona orba annecteretur, ut 54, 1 *esset* in omnibus cdd. exstat, quo loco *esse et* fuerat.

Patienter editores antiquitus traditam retinuerunt scripturam *machinas in bello ferrent*, quamvis de interpretatione dubii fuerint aut desperaverint. Non enim aliter hic *ferrent* dictum esse poterat quam 27, 15, 6 machinas scalasque ad muros ferrent (cf. Hor. epod. 9, 13 fert vallum et arma miles), ut omnino est portare, baiulare vel gerere, velut 1, 20, 4 Salii ancilia ferre, 1, 32, 12 fetiales hastam ferratam ad fines hostium ferre dicebantur. Quod hoc loco sane ridicule diceretur. Scribit Gulielmus M. Gunn in notulis anglicis: »*Ferrent*, for which *facerent*, *ferrarent*, and (for *in bello*, *ad bella*) *pararent*, have been proposed, must be used here in the not uncommon sense of *suppeditarent*«. Schelleri est coniectura *ferrarent*, i. e. ferro obducerent s. armarent, Rupertii »*in bella* (in usum bellorum) *pararent*«, Lipsii denique *facerent*, quod probavit Drakenb., in contextum solus recepit H. I. Mueller. Madvigii in ed. 2. haec est opinio: »Aut cum Lipsio *facerent* aut *ut machinae fierent* scribendum videtur«; scripsit autem †*ferrent*. Hoc sane novum: fabris *datum munus*, *ut machinae in bello fierent*. Munus igitur hominum, sive mandatum exsequendum, esse posse non solum aliquid f a c e r e, sed etiam aliquid f i e r i. Si de fabrum centuriis scripsisset Livius *machinas facerent* (antecedente eodem verbo *stipendia facerent*), id non facile in *ferrent* mutatum esset. Machinas denique illas non primum ac praecipue in ipso bello fabricabantur. Non quidem *ferrent*, sed *offerrent* eam habet vim, quam quaerit Gunn, suppeditarent: est enim praesentem sistere (Ter. Hec. 5, 3, 10 opportune te offers), paratum habere, ministrare, afferre (ut opem et auxilium offerre), ideoque prope accedit ad significationem illius verbi, quo in hac re utitur Dionysius (4, 17) *λόχοι δύο ὁπλοποιῶν τε καὶ τεκτόνων καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατασκευαζόντων τὰ εἰς τὸν πόλεμον εὔχρηστα.* Machinarum potissimum, quae ad bellum utiles essent, paran-

darum tota cura fabris erat demandata, quas inprimis ad urbes obsidendas et oppugnandas paratas habere debebant. Remotiore obiecto dativi offerre facile carere potest. Interdum differre sine ullo obiecto ponitur (6, 14, 13. 24, 39, 3. 45, 36, 2).

43, 5 *Tertiae classis quinquaginta* cet. Sob. Deinde haec adnotavit Rhenanus: »Antiqua lectio: Tertia classis in L. millium censum esse voluit: totidem centuriae et hae. Suspicor scriptum fuisse, In tertia classe L. millium censum esse voluit. aut Tertiae classis millium L. censum esse voluit«. Ita Ruperti: »An delendum *in*, quod a multis mss. abest?« Cum semel errore scriptum esset *tertia classis* ac proxime legeretur *in quarta classe*, fuisse videntur, qui (ut postea Rhenanus) crederent hic quoque esse debere *in tertia classe*, sed novo errore accidit, ut *in* adpositum post illa verba in cdd. adiiceretur, quod iam Sobius delere non dubitavit.

43, 7 *His accensi* cet. Codicum haec est scriptura: *in his accensi, cornicines tubicinesque, in tres centurias distributi*, quam retinent Weissenborn et Madvig: ille legentes impedimentorum commonefacit, hic sublato post tubicinesque inciso hoc tantum adnotat: »Inter hos tria illa genera distributa sunt in tres centurias«. Vult igitur etiam centuriam accensorum, quae tamen nulla erat, neque si *tres* adduntur (quem numerum nondum in editione mutavi), convenit cum tota summa, quia tum centuriae erunt centum nonaginta quattuor. Erant tamen, ut diserte testatur Dionysius (4, 18), *λόχοι ἑκατὸν καὶ ἐνενηκοντατρεῖς*; ac Cicero Rep. 2, 22, ut docet ibidem Angelus Maius, conspirat in summa ad amussim cum Dionysio; e quo iam Sigonius intellexerat »in *tres* centurias« falsum esse. »Malim«, inquit, »in *duas*«. Consentiunt Lange ceterique, qui hanc rem perpenderunt, III scriptum esse pro II. Depravatio autem ab iis facta esse videtur, qui »tria illa genera« (accensos, cornicines tubicinesque) in totidem centurias vellent distributa (quod tanto facilius factum est, cum accensere esset verbum insolitum), quae ipsa interpretatio causa facta est alterius interpolationis *in his* (pro *his*), quod mendum correxit Perizonius. Docet Paulus Diaconus (Festus p. 14): »*Adscripticii* veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos et *accensos* dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti«. Hi, qui non supra sextam classem fuerunt, nullo modo confundendi sunt cum binis illis centuriis aequaliter tum primae tum quintae classi adiectis (secundum Dionys. secundae et quartae), quarum erat *ἀκολουθεῖν τοῖς ἐνόπλοις*; de quibus distincte Dionysius: *ἦσαν δὲ τῶν τεττάρων τούτων δύο μὲν ὁπλοποιῶν τε καὶ τεκτόνων, δύο δὲ σαλπιστῶν τε καὶ βυκανιστῶν καὶ τῶν ἄλλοις τισὶν*

ὀργάνοις ἐπισημαινόντων τὰ παρακλητικὰ τοῦ πολέμου: adeo nullos accensos in his centuriis agnovit. Nec magis quadrabit numerus, si inter (non extra) triginta quintae classis centurias alias duas vel tres numeraveris; quod praeterea pugnat cum Dionysio: *πεντεκαίδεκα μὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν λόχοι τοὺς πρεσβυτέρους εἶχον, πεντεκαίδεκα δὲ τοὺς νεωτέρους.*

43, 11 *primum peditum vocabantur*, si aut una sumenda sunt aut prorsus reiicienda, reiicere certe necesse erit. Voluit Weissenb. *primum* pro primorum sic dictum, ut duum, socium, alia pro duorum, sociorum, ad quod Madvig »Neque primum«, inquit, »pro primorum accipi potest neque primi pedites ulli erant«. *primum* igitur nullam habet explicationem, ac facile mutata forma repetitum est ex iis, quae praecedunt, primi vel primae. Potuitne tamen scribi, quod eo remoto reliquum erit: *Equites enim vocabantur primi; octoginta inde primae classis centuriae peditum vocabantur?* Ubi de equitibus sive equitum centuriis, quae et ipsae primae classis fuerunt (*προσένειμεν αὐτοὺς τοῖς πρώτοις τῶν φαλαγγιτῶν ὀγδοήκοντα λόχοις*), ad suffragium ineundum vocatis mentio facta est, satis apte haec subsequuntur: octoginta inde primae classis centuriae peditum vocabantur. Si quem offendit verbum tantillo spatio repetitum, id a Livii consuetudine minime abhorrere exemplis monstrandum. 25, 37, 11 Verso repente in iram luctu discurrunt ad arma, ac velut accensi rabie discurrunt ad portas et in hostem — venientem incurrunt. 5, 4, 9 Aut non suscipi bellum oportuit aut geri pro dignitate populi Romani et perfici quam primum oportet. 9, 44, 13 signa militaria sex et viginti capta et imperator Samnitium multique alii mortales et castra utraque capta. 34, 56, 12 ad quam diem L. Cornelius consul edixisset et in quem locum edixisset Etruriae, convenirent. 44, 19, 1 cum in exspectatione patres fuissent, quidnam consul de Macedonia — referret, nihil se habere Paulus, quod referret — dixit. 7, 22, 2 Temptatum domi per dictatorem, ut ambo patricii consules crearentur, rem ad interregnum perduxit. Duo interreges — interpositi obtinuere — ut ambo patricii consules crearentur. 8, 25, 6 foediora aliquanto intra muros iis, quibus hostis territabat, patiebantur, et velut capti a suismet ipsi praesidiis — quae captarum urbium extrema sunt, patiebantur. 30, 33, 4—11 instruxit .... instruxit .. ostentatur ... ostentantur ... ostentatur. 30, 39, 1 et 2 consulem .. atrox vis tempestatis adorta ... superantem montes .. tempestas adorta disiecit classem. Cf. quae supra allata sunt ad 41, 3 consilia.

Quod scribi a Livio potuisse mihi videtur, id ipsum est, quod tenent editiones antiquissimae: vidi saltem in edd. 1. 3. Mog. Asc.

Sob. *centuriae peditum vocabantur*, quod postremis temporibus in sola repetitur ed. ster. Tauchn. 1848; Ingersley autem tantum *centuriae vocabantur* retinuit. Sed iam in ed. Aldinam 1518 codicum optimorum scriptura *centuriae primum peditum vocabantur* inmigraverat, quam servaverunt ed. Frob. et ceterae pleraeque saeculi sexti decimi. Tamen Sigonius tria illa verba *primum ped. voc.* glossema esse censebat, quam ob causam ea eiecerunt Grut. Gron. Crev. et reliqui fere omnes usque ad Alsch. et Hertzium. Iam vero eadem aut excludunt aut uncis includunt.

44, 3 *Esquiliis* coniectura est Gronovii, quam recepit Madvig. Vix tamen ulla causa est, cur deseratur codicum ceterarumque editionum scriptura *inde deinceps auget Esquilias*, i. e. postquam Quirinalem Viminalemque addidit urbi, cum iam Carinae Esquiliae (26, 10, 1) pars urbis essent, continuo ordine aedificiis et incolis adiacentes *auget Esquilias*, quas totas amplexus est circumdando urbem aggere et fossis et muro. Primum autem eum collem, quod pronus erat ascensus, viis flexuosis aditu faciliorem fecerat rex Tullius. Festus s. v. Orbius p. 182. Si denique aliter acceptum voluisset Livius, auget u r b e m Esquiliis scripturum fuisse credibile est.

45, 6 *Sabinusque*, in progressu orationis ad aliquid, quod sequi debebat ex iis, quae de prodigio et vaticinatione dicta erant. Quem nexum sententiarum perdunt, qui particulam illam copulativam eiiciunt. »Nec vacat particula Que, non solum connectens sententiam, verumetiam ad vehementiam eiusdem faciens». Rhenanus.

46, 7 *cum impari iungi*, i. e. cum impari in coniugio esse, vivere cogi. Rectius Arruntem caelibem futurum fuisse, quam talem sortem Tulliae minori parare, ut elanguescendum aliena ignavia esset ac tacite serviendum (47, 2). Non querebatur Tullia Arruntem et ipsum in matrimonio habere imparem (indignam), cuius ignavia elanguesceret. »Neque iungebantur nunc», inquit Madvig, »sed iuncti erant»; itaque in obliqua oratione i u n c t o s scribendum fuisse contendit. Sic autem de sequentibus disserit: »Accedit ad hoc orationis vitium, quod in codice archetypo non e s s e t, sed e s s e scriptum fuisse constat (ex MPL cet.), ex quo *ut* mendosum esse arguitur». Eiusmodi menda vulgaria non solent alias dubitationem adferre: quamvis enim, ut exemplum adferam, 1, 54, 5 habeant MP *ut omnia — posse*, nemo ex eo *ut* mendosum esse argui umquam credidit; 1, 48, 7 *tulisset* MRDNFPU, *tulisse* edd. omnes, quod etiam Livius scripserit necesse est. Neque satis provide adfirmat doctissimus vir nostro loco in cod. arch. non e s s e t, sed e s s e scriptum fuisse; nam e s s e t M tenere Alschefski dilucide docuerat. M autem fidelissime

archetypum referre ipse existimat. Quod denique ad significationem praesentis et imperfecti passivi attinet, constat esse et fieri notiones tam finitimas alteram alteri esse, ut inter se commutentur: 29, 10, 1 litterae Romam allatae, exercitum gravi morbo affectari, i. e. affectatum esse. Plin. N. H. 36, 5, 30 Mausoleum cingitur columnis triginta sex. Idem hic valet cingitur atque cinctum est. Cic. Verr. 4, 55 his tabulis interiores templi parietes vestiebantur, i. e. vestiti erant. Deletis vero vocibus *iungi* et *ut* celataque vera scriptione Medicei in hunc modum Madvig orationem Livii transformavit: »et se rectius viduam et illum caelibem futurum fuisse quam cum impari. Nunc elanguescendum aliena ignavia esse«. Quid vero post hanc mutationem tam violentam in oratione abrupta ad verba illa *cum impari* supplendum censeret, nec ipse docuit nec alii cuiquam ut nova coniectura adsequeretur contigit.

46, 9 *Arruns* in hoc contextu sermonis a Livio scribi non potuit; considerate igitur ex coniectura Fulvii Ursini ab omnibus fere probata *Lucius* substitutum est a Bekkero aliisque compluribus. Cogitari quidem potest aliquot verba excidisse in describendo transitu facto ex nomine Arruntis Tarquinii in nomen Lucii Tarquinii paulo post sequens, velut si positis nominibus Arruns Tarquinius et Tullia maior dictum fuerit aliquid in eandem sententiam atque haec, quae de eadem re narrat Dionysius (4, 30) *οὐ πολλοῦ μετὰ ταῦτα χρόνου τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν ἀποθνήσκουσιν,* vel paulo aliter, nam mox sequitur de tempore »prope continuatis funeribus«; de quo supplemento nihil pro certo statui potest. Magis adducor ut credam mature factum corrigendi conamen scioli cuiuspiam, qui putaverit domum vacuam novo matrimonio facere eum, qui interficiatur, in sequentibus vero invenerit Lucium non esse interfectum, Tullia autem interfecta utra fuisset, parum quaesiverit. Similiter locutionem illam interpretatus Sabellicus *Tullia maior* scribendum existimavit. Ob id vero quod sequitur *iunguntur nuptiis* scribatur necesse est Lucius et Tullia minor, qui etiam ut coniugum interfectores ex communi loquendi more recte dicuntur domos vacuas novo matrimonio fecisse. Cf. Cic. Cat. 1, 6, 14 Nuper cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? Sall. Cat. 15 creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Val. Max. 9, 1, ext. 5 ipsam dimisit, ut vacuum locum nuptiis puellae faceret.

48, 3 *iam etiam ipsa* cdd., quotquot plene legi, edd. 3. Mog. Deest *etiam* in ed. 1. Ald. Frob. 1531, inserendum diserte monuit Rhenanus, inserebant sequentes, iterum eiecit Drakenborch, quia de-

esset in Leid. utroque, Harlei. utroque, aliis; quem secuti sunt Ruperti, Stroth, Kreyssig cet.; iterum restituit Alsch. monens de optimis cdd.; tertium eiecit Madvig brevi addita interclusione: »*iam etiam ipsa* (e geminatione litterarum)«. At in ipsius editione multis locis retinetur *iam etiam* (velut 5, 7, 1. 22, 15, 1 et 45, 4. 34, 2, 11 et 39, 5) nulla usquam de geminatione litterarum facta mentione. Non de delenda particula quaestitionem posuit Weissenborn, sed potius *et* quam *etiam* scriptum ille voluerit ex consuetudine Livii, ubi sequitur *ipse*. Vid. 1, 12, 3 et 23, 10. 4, 34, 2. 29, 23, 4.

48, 4 *exsanguis cum se reciperet* in errore codicum aperto modica pro tempore est correctio, non tamen quae sufficiat. Nec admodum difficilis extricatu est scriptura, quae primo aspectu perplexa videatur. Nihil enim tam vulgare est quam, ubi eadem verba parvo intervallo recurrunt, a prioribus ad posteriora aberrare oculos describentium. Hic vero tum de Tullio tum de Tullia iisdem verbis de eadem re narratum erat, ut moris est Liviani vicinis locis locutiones repetere, cuius rei exempla dedi ad 43, 11 vocabantur. Cum pater tum filia ex foro curiaque domum se contulit. Habitabat ille in Esquiliis (44, 3) supra clivum Urbium; Tarquinius et ipse ibidem supra clivum Pullium ad Fagutalem lucum. Solinus 1, 25. Paulo aliter Festus (s. v. Orbius): Tulliam et cum ea L. Tarquinium rege in curia interfecto per flexuosos orbes Orbii clivi properavisse tendentes in regiae domus in Esquiliis possessionem. Quid multa? exponit Livius, quid Servio, quid Tulliae acciderit, cum se domum reciperet, in qua re codices vestigiis consecutus sic scripsisse eum atque ad hunc modum restituendam orationem arbitror: § 4 *Fit fuga regis apparitorum atque comitum; ipse prope exsanguis cum se amisso regio comitatu domum reciperet, ab iis, qui missi ab Tarquinio fugientem consecuti erant, interficitur.* § 5 *Creditur ... admonitu Tulliae id factum. Carpento certe ... in forum invecta .. evocavit virum e curia regemque prima appellavit.* § 6 *A quo facessere iussa ex tanto tumultu cum se domum reciperet pervenissetque ad summum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit, flectenti carpentum dextra .... is qui iumenta agebat .. dominae Servium trucidatum ostendit.* Iam cum priore loco *domum reciperet* scripsisset librarius, in continuando ad posteriorem oculos transmisit inciditque in illa, quae ibi sequebantur, *pervenissetque* cett. Ubi vero deinceps scribendo quinque verba festinantius adsumpsit atque ita in alienum locum retraxit, detecto mox errore illuc, unde egressus erat, rediit recto ordine pergens, quo factum est, ut quinque illa tum rursus recurrerent.

Detracta ista iteratione verborum haud contra consuetudinem obveniente una restat depravatio; nam propinqua voce *exsanguis* nexu quodam idearum facile *semianimis* effectum est ex *se amisso*. Quod adiectivo isto instituendo detortum summotumque erat pronomen *se*, cum abesse omnino non posset, deinde post *domum* repositum est, non, ut etiam altero loco (§ 6) usu venit, ante illud.

Forsitan dixerit quispiam, cum de fuga apparitorum et comitum mentio iam facta esset, de amisso regio comitatu ultra loqui non opus fuisse. Monendum vero erat eos non ad regem revertisse aut fortasse eandem fugae viam ingressos ei aggregatos esse, ut in aperto esset, quomodo fieri potuisset, ut nullo negotio rex ab iis, quos miserat Tarquinius, occideretur. Non magis supervacaneum erat commonefacere domum se recepisse regem aspere tractatum, ne inopinata venirent, quae de exsangui illo sequuntur, fugientem consecutos esse satellites Tarquinii. Quae de solitudine fugientis traduntur, non pugnant cum hac narratione Dionysii (4, 38): *ὡς εἶδε τῶν αὑτοῦ φίλων πολλὴν ἐρημίαν, ἀπῄει στένων, κρατούντων καὶ παραπεμπόντων αὐτὸν ὀλίγων*. De paucitate enim amicorum fidelium hic agitur.

Duplicatorum illorum quinque verborum tenacissimi fuerunt editores: manent etiamnunc in ed. ster. Tauchn. 1848; sed eliminaverat Alsch. E coniectura Rhenani *semianimi* trecentis annis scribebatur (finxerat tamen is *semianime*, namque in Vorm., ut in MP, fuit *semianimes*). Rediisse scilicet comites lenito pavore, sed et ipsos semianimes. Recentissimi denique valde immoderati in corrigendo fuerunt; nam non modo quinque illis verbis, sed etiam septem proxime praecedentibus recisis cum magno orationis Livianae detrimento scripserunt: *ipse prope exsanguis ab iis, qui* cett. Drakenborch enim haec adnotaverat: »Quid si legamus *Fit fuga regis, apparitorum atque comitum. Ipse prope exsanguis ab iis, qui* etc. Verum sine librorum consensu nihil constituto«; quod monitum ipsius centum annos observabatur. Inciso post *fuga regis* posito compensare voluisse videtur, quae condemnaturus erat; sed facile apparet ita distinguere non licere, etsi necesse erat iam de regis discessu aliquam mentionem fieri; quamobrem alii salvis verbis *cum domum se reciperet* interiacentia omitti posse putaverunt. Nihil vero magis vel cum emendandi legibus vel cum sensu huius loci pugnat quam, id quod fecit Madvig, dempta suo loco verba illa *regio comitatu* ad Tulliam se domum recipientem transponere. Nam si Livius ita scripsisset, ut ille vir clarissimus totum hunc locum formavit, explicari non possent ea, quae exhibent cdd. Regium comitatum in tali praesertim tempore

a viro facessere iussa ex tanto tumultu sibi subito comparare non potuit Tullia; qui quidem comites ipsi, si adfuissent, Servium trucidatum ostendere debuerunt, nec de auriga solo esset mentio facta.

48, 6 *in collem Esquiliarum* iam in antiquissimis edd. scribebatur, etiam in Frob., etsi monuit Rhenanus *Esquiliarium* esse antiquam lectionem, i. e. cod. Vorm. (ed. Frob. non addito anno semper intelligo an. 1535). Similiter vero 51, 1 *aricinius* (pro aricinus) saltem in P est. *Esquiliarum* (exq.) etiam S tenet. Inaudita est altera forma nulliusque fidei.

49, 9 *perque eas nuptias* lectio est valde suspecta. Primum enim *que* cum praepositione monosyllaba copulatum insoliti aliquid habet, quippe quod in primis Livii libris unius sit exempli. Vid. Draeger Hist. Synt. § 314. Deinde »per eas nuptias multos sibi conciliat« dubito num bene latine dicatur. Verum quidem est pro ablativo instrumenti, qui vocatur, non solum de hominibus, sed etiam de rebus praepositionem illam in usu esse, attamen certa terminatione, ut non tam id significetur, quo quis quod velit assequatur, quam quibus modis id assequatur, quo animo, qua arte quis quid faciat, in qua rerum condicione aliquid fiat; quare circuitu plurium verborum saepe ea exponuntur, quae alioquin adverbiis enuntiantur. Exempli gratia adferam 21, 63, 4 Res per summam contentionem acta invidiam peperit, 42, 47, 1 decepto per inducias et spem pacis rege. Cf. per insidias, per fidem circumveniri, Caes. b. G. 1, 42 et 46. Ea autem, de quo quaeritur, locutio quominus probetur, maxime impedimento est pronomen *eas*, quo de certis quibusdam et definitis nuptiis sermo infertur. Tum, ubi dicitur amicos *eius* sibi conciliat, minus apte in eodem enuntiato per nuptias id factum refertur, quam per hominem, etiamsi is ante nominatus est.

Haec tot tantaque incommoda tollentur, si codices recte intellexerimus. Nam hic, ut saepe alias, M et transalpini rectum aut vestigia recti servarunt. Est enim in M *ꝑque meas nuptias*, ubi *per quem eas nuptias* ante scriptum fuisse perspicuum est; is enim librarius saepe perperam divisit, cuius erroris exempla vide ad 47, 5 fratris. Fatalis illa m. 2. (vid. p. 7) *m* ad sequens verbum retractum delevit, ut legeretur *perque eas*. Numquam vero futurum fuisse, ut *m* illud adderetur, nisi altiores radices egisset, pro certo adfirmaverim. Est igitur duplex scriptura, quales multae in M sunt, velut 1, 23, 6 prodeunt procedunt, 27, 8 erigere erigerent iubeat, 30, 7 fuit valuit. Eae vero dittographiae nonnumquam sunt sospitatrices: 2, 34, 11 ex antiquissimis temporibus vulgo dabatur *utantur annona*, donec innotesceret M *fruantur utantur annona* (nam de cod. Vorm.

frustra monuerat Rhenanus). Ut hic iam ab omnibus praefertur prior pars duplicis scripturae, sic nostro loco prius illud *per quem* praeferendum esse iudico, idque eo magis quod etiam transalpini *per quem* tuentur. Subsequens vero *eas nuptias* suspectum faciunt iidem, utpote qui non *eas*, sed *et* exhibent, qua re arguitur additum aliunde *nuptias*. Quod proxime antecedit *nuptum dat*, in P scribitur *nuptam* dat, in aliis *nuptu* vel *nuptui*, quare suspicor lectionem aliquam in margine allatam causam esse scripturae amplificatae. Saepius in que illud encliticum mutatum est *quem*, ut 53, 6 neque heredem RDFPUS (ne quem heredem). In P alia manus in margine correxit *perque eas nuptias* (quod et in R legi); quae quam parvae fidei sit, iam ex eo intelligitur, quod paulo infra 50, 5 pari modo eadem *deberent* correxit (ubi *debere* corrigendum erat). Etiam 23, 6 RD deteriorem duplicis scripturae partem solam retinuerunt.

52, 3 *id ... censere*, h. e. id postulatum urgere, id consilium tenere, ut —. Cf. 6, 39, 10 id postulare, ut, 2, 55, 3 id unum consilium esse, ut. Sine idonea causa *id* nonnulli sublatum volunt.

53, 3 *divendita*, quod in M metathesi litterarum scriptum est *diuidenta*, m. 2. mutavit in *diuidenda*, quae facillima mutatio etiam in RDFPU facta est. Non autem de partitione, sed de venditione praedae hoc loco agi apparet ex addito numero pecuniae, quae inde redacta est. Praeda vendita r e f e c t u m (vel in publicum redactum, 38, 23, 10) dicitur quidquid nummorum inde confectum est, 35, 1, 12. Divisioni praedae r e f i c e r e non respondet. Si, quod coniecit Gronovius, *divendenda* vera scriptura esset, non exstitisset in M *diuidenta*. De divendita praeda Livius saepius loquitur: 10, 17, 7. 21, 21, 2. 37, 5, 3. 3, 13, 10 divenditis omnibus bonis. Tac. Ann. 6, 17 (23) tot damnatis bonisque eorum divenditis signatum argentum fisco attinebatur.

Antiquissimas edd. *divendenda praeda* tenuisse (dividendo praedam Ald.), non est quod mireris; sed cum ed. Mog., id quod Carbachii ingenio nos debere crediderim, *divendita* dedisset, idque omnes deinceps editores recipere non dubitavissent, praeter opinionem accidit, ut Drakenborch, Ernesti, Stroth, Ruperti ad pristinam lectionem revolverentur. Pauci tamen a Carbachio traditum in suum convertere neglexerunt; ne Gronovii quidem dedignati sunt, cum tamen *divendenda* potius legendum esse putarent, quam tandem coniecturam Kreyssig, Bekker, Hertz et Madvig receperunt.

53, 8 *Volscosque inde*, ubi cdd. *Volscosque se inde;* quod *se* supervacaneum videbatur Gronovio, quo auctore delevit Bekker, uncis includunt hodie plerique. Pronomine tamen illo iterato magis seiun-

gitur haec sententia ab altera, quemadmodum in ed. ster. Tauchn. maior est distinguendi nota; quam ob causam Sigonius »veteres libros pleniores» laudans scripsit *omne Latium*, *pulsumque se inde Volscos et Aequos et Hernicos petiturum*, quam accessionem arripuerunt edd. Francofurtenses, Gruterianae, Gronovianae, Duiatianae. Ceterum etiam ea, quae abesse poterant, verba repetere Livius non verebatur. Vid. supra ad 41, 3 et 43, 11. Ita, nisi fallor, scriptum oportuit: pererraturum se omne Latium; Volscosque se inde et Aequos ctt.

54, 5 *Gabiis posset*, quae duo littera initiali ponenda inverso ordine scribi coepta esse suspicor, atque deinde *p gabiis* in *p̃ gabiis* mutatum esse, ut ex ista littera aberrante, quam flocci facere oportebat, aliquid saltem efficeretur. Cf. supra ad 21, 1 soli fidei. Genuit *p̃* illud varias coniecturas, in quibus *unus ipse*, quod commendaverat Rhenanus, in edd. Francofurtensibus exstat.

54, 6 *sequente* omnes edd. ante Alsch. tenuerunt, exstat in cdd. RS. Quod est in ceteris, quot legi, *sequenti*, ultima vocis littera mutata facile oriri potuit, ut 13, 7 M pro *aetate* praebet *aetati*, quod etiam recepit Alsch., sed ibi neminem ad se imitandum illexit. Quae adferuntur exempla Liviana participii praesentis praesertim in ablativo absoluto in *i* exeuntis, ubi retinet vim verbalem, partim falsa aut incerta sunt partim etiam in cdd. accuratius examinanda: 1, 48, 6 flectenti et 5, 38, 4 superanti dativi sunt; 6, 14, 13 »differentique ctt. eo versae erant omnium curae» idem fere est ac si dicatur differenti curae omnium advertebantur. 9, 29, 3 persequenti, ubi persequente edd. antt. 21, 43, 14 ignoranti, quod ignoto respondet, facile pro adiectivo habebatur. 27, 26, 11 consentienti in Put. uno est, in ceteris consentiente aut adsentiente. 42, 33, 2 consule inde postulanti, quod iam correxerunt edd.

55, 7 *Pomptinae* ex cdd. Livianis (itidem Plinianis) scriptum. Tamen manubiae illae erant ex Suessa Pometia urbe a Tarquinio vi capta (53, 2, ubi de hac pecunia primum mentio fit), quamobrem propria forma evidenter est *Pometinus*. Incolae urbis *Pometii* Virg. Aen. 6, 775. Dionysius constanter scribit *τὸ Πωμεντῖνον πεδίον, χωρίον* (7, 2. 6, 29 ctt.). »Miror hoc (Pometinae) non emendatum in editione Asulanica: quando iam olim ante nos sic legendum esse monuit M. Antonius Sabellicus». Rhenanus. Quibus oboedientes non solum reliqui, sed etiam Alsch. et Hertz a cdd. discesserunt. *Pomptinae* denuo scripsit Madvig »forma nonnihil deflexa, ut a Capua Campanus fit, ut a Samnite adiectivum est Sabellus».

55, 9 *summam . . . exsuperaturam* memorabile est usu appositionis ad enuntiationem per epexegesin brevius exprimendam. Sic 10,

30, 10 Data ex praeda militibus aeris octogeni bini sagaque et tunicae, praemia illa tempestate militiae haudquaquam spernenda, 21, 5, 11 centum milia fuere, invicta acies, si aequo dimicaretur campo. Iam in eo liberior appositionis usus apud Livium conspicitur, quod substantivum interdum ab enuntiato relativo disiungit, ut 1, 44, 4 est autem magis circamoerium, locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci consecrabant, 4, 46, 10 dictator dictus Servilius Priscus, vir, cuius providentiam experta civitas erat.

Cernitur ex codicibus fuisse olim, qui hanc, quae adest, sententiam vel per relativum *(quae summa* aut *quam summam)* vel per coniunctionem (*quia)* exponere conarentur, quod quidem incepisse, non perfecisse videntur. *quam summam* retinebatur in antt. edd. ante Glareanum, cuius haec est annotatio: »Statim post verbum *scribit* non puto ponendum relativum *quam*, sed continue inserendum appositive *summam pecuniae neque* etc.» (Cf. quod inseritur 1, 4, 5 *quam* romularem B Magl. Laur. 3. m). Deletum est *quam* in ed. Basil. 1555 (quae, nisi quod observat annotationes Glareani adiectas, per singulos versus ed. Basil. an. 1549 sequitur), provenit nihilo minus in edd. Francofurtensibus et Gruterianis. De eodem pronomine haec annotaverat Rhenanus: »Si quis hoc pacto legere velit, multa subintelligenda erunt. Ex fide vetusti codicis sic scribe: *quia summam pecuniae*, et repete verbum *scribit*, quod subauditur». Frustra Sigonius Rhenano opem ferre conatur: monet Gronovius, non Pisonem hoc dixisse, nimis magnam eam pecuniam futuram fuisse, ac Sigonium accusat, quod, ut suam causam tueretur, religioni habuerit plenius interpretari in hunc videlicet modum: quia ea summa pecuniae (vel quae summa pec.) neque ex unius tum urbis praeda erat speranda ctt.

Si denique cum cdd. satis conveniret, quod coniecit Bekker, *quippe*, haud scio an probabile esset. Probavit initio Weissenb., reiecit deinde, ut quod Livius alia significatione iungeret cum substantivis. Constat tamen illud etiam in appositione explicativa locum habere, cuius rei exemplum esse videtur, quod adfert ipse Weissenborn, 3, 53, 2 Profecti gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur, quippe liberatores haud dubie. Cf. Cic. Fin. 1, 6, 20 Sol Democrito magnus videtur, quippe homini in geometria perfecto.

Ib. *nullius ne horum quidem magnificentiae operum* ex duplici dicto conflatum mihi visum est, uno *ne horum quidem operum*, altero *nullius magnificentiae operum*, itaque aut hoc aut illud totum recidendum. Sunt in cdd. Livii plurimae dittographiae, velut 1, 14, 9 et 27, 7, vid. Livianor. libr. I. dec. emendandae ratio p. 24 sqq.

In his verum a falso non facile discernitur. Poterat hoc loco *nullius magnificentiae* apponi, ut explicaretur vel definiretur quodammodo *ne horum quidem*, atque, ut fit, partim ante partim post illud inculcari. Item potuit, si illud scriptum fuisset, simplicius dictum videri *ne horum quidem operum*. Utrumcumque erit, confusio duarum locutionum facile facta est.

Quod in omnibus cdd. exstat et nostro demum tempore in suspicionem venit, hanc fere habet interpretationem: summam illam pecuniae, quam fert Piso, cuiuslibet vel his temporibus magnifici operis fundamenta (i. e. pecuniae summam pro fundamentis persolvendam) exsuperaturam. Quam difficile sit de ea re aliquid pro certo affirmare, documento est mutata sententia Madvigii. Nam in utraque editione haec habet: »*Fundamenta nullius magnificentiae operum* prorsus prave dicuntur neque ordo verborum tolerabilis est». Idem vero post paucos annos »In eam partem», inquit, »nunc inclinat animus, ut ferendum putem *horum magnificentiae operum* (der jetzigen Werke der Prachtliebe)». Em. Liv. ed. 2. p. 64.

56, 4 *in regia* »emendat Bauer. p. 77. Non necesse est. Columna enim, ex qua anguis dicitur elapsus esse, extra regiam erat». Kreyssig Glossar. s. v. fuga. »Sunt verba *in regiam* non cum verbo *terrorem*, sed cum verbo *fugam* iungenda, et fugerunt homines in regiam, ut aut portentum, quod conspexerant, regi nuntiarent, aut auxilium ibi praesidiumque quaererent. Neque in regia spatium est, in quo, sed in quod aut ex quo fuga sit». Queck, progr. Sondersh. 1861 p. 14. Falluntur viri doctissimi de vi vocis fugae inprimis ubi terror vel pavor cum ea coniungitur: 1, 28, 5 hostibus terror ac fuga iniiceretur, 31, 2, 9 Inde pavor fugaque etiam armatos cepit, 5, 38, 5 pavor fugaque occupaverat animos, 22, 13, 10 Ingentem cladem, fugam tamen terroremque latius Numidae fecerunt, 29, 28, 6 eo maior tum fuga pavorque in urbe fuit, 21, 61, 2 classicos milites palantes per agros equite passim dimisso cum magna caede, maiore fuga ad naves compellit, 21, 63, 14 fuga procul etiam maior apud ignaros, quid trepidaretur, et concursatio fuit. (Cf. 18, 6 in lapidem).

Dicitur domestico visu exterritus rex, cum ei ea, quae narrata sunt, agenti portentum terribile visum esset. Domesticum ostentum nimirum non extra domum regiam a rege visum est.

56, 7 *longe alius ingenio* ille iuvenis erat, quam eum hominem cogitamus, cuius simulationem induerat. Non iuvenis praesertim personam gerendam susceperat, sed omnino inepti hominis, cui re vera valde dispar erat ingenio is iuvenis.

Urgetur a Madvigio »iuvenis simulationem induerat«, quod nimirum perverse diceretur. Dicitur *alius ingenio* eodem modo, quo dissimilis, diversus ingenio. Quod vult Madvig *alius ingenii*, iam ob id dubium est, quod genitivus alius non est sermonis Liviani. Potuit Livius 1, 59, 8 de ingenio alicuius modi simulato loqui, idemque hic eundem Brutum dicere hominis alicuius modi simulationem induisse. Ceterum contendit *ingenio* hic pro *ingenii* eadem ratione in cdd. scriptum esse, qua 4, 13, 13 consilia pro consilii. At a et i inter se commutabantur, non item o et i, quamquam alia quoque illic aderat causa mutandi; hic contra *ingenii*, si fuerit, cur mutatum sit, non in aperto est. Per ambages mutationem factam: nam aliquamdiu ingeni, consili fuisse, deinde falsam litteram additam; monendum vero est, morem illum i pro ii scribendi ad genitivos nominum propriorum potissimum pertinere.

56, 11 *redissent* hodie vulgo legitur, ut est in edd. ante Aldum; sed *redisset* codicum est scriptura, exceptis vilioribus quibusdam, eamque praetulerunt cum multae aliae edd. tum Mog. Sob. Frob. Grut. Gron. Cler. Crev. Giov. Hertz. Sic inter fratres convenit, ut, utri sorte id ius evenisset, ei post reditum suum matri prius osculum dare permitteretur. Hic ut de huius iure, sic etiam de huius potissimum reditu dictum est. De utriusque reditu loqui nihil attinebat. Itaque minime cogimur in hac re eos cdd. deserere, quos sequi solemus.

58, 5 *cum vicisset obst. pud. velut victrix libido*, i. e. cum vicisset quidem libido, tamen ita vicisset, ut in speciem tantum victrix esset: reportaverat vir libidinosus victoriam, at victoriam speciosam; videbatur victrix libido, non erat re vera; nam *corpus tantum*, inquit Lucretia, *est violatum, animus insons*, ac de Sexto Tarquinio illa vere hoc divinabat: *pestiferum hinc abstulit gaudium*. Cf. Ov. Fast. 2, 809 Quid, victor, gaudes? haec te victoria perdet. Ubi praecedit *cum vicisset libido*, in iis, quae adiiciuntur, *velut victrix* non inest contradictio, sed correctio quaedam vel terminatio. *Velut* nomini adiectivo vel participio appositum interdum significat aliquid speciem quandam prae se ferre aut ex opinione alicuius in quodam statu esse. 22, 41, 8 castra fuga dominorum *velut deserta* nominantur, quae per speciem deserta erant. 24, 22, 7 prodita pars urbis Syracusarum *velut munitissima* dicitur ea, quae eorum opinione munitissima erat, sive quae speciem summae firmitatis praebebat. Aliud est »*vel* munitissima«, in quod auctore Gronovio vulgo mutatur. Hoc autem, in quo versamur, loco *velut* victrix in *vel vi* victrix mutatum est a Madvigio. Atqui dicit scriptor ne mortis quidem metu inclinari potuisse

Lucretiam dedecorisque demum terrore adhibito victam esse pudicitiam eius. Famae metu dedecorisque minis victa est, quae mortis metui non succubuisset (Ov. Fast. 2, 808). Usque eo non vi corporis victa est. Relicta hoc loco codicum scriptura alii aliter in absurdum deducti sunt.

59, 1 *denique* coniecit Madvig (quo singulatim quibusdam nominatis postremo omnia nos comprehendere significaretur), accepit H. I. Mueller, qui collatum vult 30, 14, 9, ubi, postquam sex enumerata sunt, ad septimum omnia comprehendens additur *denique*. Magis fortasse conferendus est locus huic, qui adest, plane similis, 2, 10, 4 »pontem ferro, igni, quacumque vi possint, interrumpant«, ubi duobus singulatim nominatis ad tertium non additur denique. Forsitan non inveniatur alibi apud Livium, quod hic in cdd. est, *dehinc* nisi ut varians lectio (1, 5, 1), sed legitur iam apud Sallustium Cat. 3, 2, Iug. 85, 1 (ubi alii dein). Respondet quidem optime ad id quod paulo post sequitur: Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Maxime vero ob eam causam displicet Madvigio, quod primariae ipsi sententiae adiectum velit et proximo futuri temporis verbo (dehinc exsecuturum), at hoc subsequente facile intelligitur »quacumque dehinc exsequi vi possim«. Ceterum est in oratione commotiore. Itaque nulla idonea causa esse videtur, cur ab omnibus cdd. atque edd. ante Madv. discedamus.

Ib. *exacturum* Rhenani coniectura esse fertur, sed iam ante eum video in edd. Mog. et Sob. Id tamen nominatim refert Rhenanus, in cod. Vorm. (ut in ceteris) esse *exsecuturum*, quamobrem hoc retentum est a plerisque, licet inprimis Gron. et Drak. admonuerint, dici quidem exsequi pro persequi, ulcisci, sed aut sine casu aut cum casu rei, velut violata iura (3, 25, 8), rem atrocem (3, 13, 3), publicum privatumque dolorem (5, 11, 5); sed requiri exemplum, ubi huic verbo eodem sensu accusativus personae adderetur. Verum si alias respexerimus verbi significationes, profecto non deerunt exempla accusativi personae. *Exsequi* enim proprie et per se nihil aliud est nisi *sequi* aliquem *ex* aliquo loco, vel aliquem ad finem sequi, itaque etiam eos, qui e coetu viventium avehuntur, comitari, ut Euripideum illud *τὸν θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον ἐκπέμπειν δόμων* sic Cicero interpretatur (Tusc. 1, 48): qui labores morte finisset graves, hunc exsequi. Est quidem omnino exsequi usque ad quendam finem sequi vel perferre, ut Cic. Phil. 2, 22 ex Italia expulsos omnes consulares, qui per valetudinem exsequi cladem illam fugamque potuissent, Catull. 63, 15 Sectam meam exsecutae duce me mihi comites Rapidum salum tulistis truculentaque pelagi, sed, ut *ἐκπέμπειν*, sic exsequi fa-

cile in malam sententiam transit, ut sit persequi, vel proprie foras pellere, exturbare, ex urbe (de civitate) exterminare, qui modus eiusdem significationis hic aptissimus est.

Quamquam consilium fuit eos modo locos attingere, de quorum scriptura non satis videretur disputatum, tamen ad extremum unum vel alterum addere liceat ex iis, quae in explanatione Suecana ab aliorum sententia differunt.

22, 7 *expetant* torquet usque interpretes. Hoc tenendum est, deos testes alicuius rei invocari non tam ut spectatores sint atque arbitri, quam ut vindices et ultores. Contestationem igitur sequuntur preces, ut, quem sontem viderint, puniant, adeoque vim suam manifestent: 1, 32, 7 Inde Iovem testem facit (fetialis): »Si ego iniuste ... illas res dedier mihi exposco, tum patriae compotem me numquam siris esse«. 6, 29, 2 Adeste, dii testes foederis, et expetite poenas debitas simul vobis violatis nobisque per vestrum numen deceptis. Utique ut aliquid perpetrent, testes dii citantur: 1, 18, 9 Dextra in caput Numae imposita (augur) precatus ita est: »Iuppiter pater, si est fas hunc Numam .. regem Romae esse, uti tu signa nobis certa adclarassis« ctt. Sic hoc loco non ad eum finem Tullus deos facit testes, ut cognoscant ratumque reddant, »uter prius populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit«, sed ut omnes huiusce belli clades expetant in eum, qui legatos aspernatus sit. Nam clades belli in aliquem expetere idem valet ac poenas ob clades in alqm expetere, ut est apud Livium 1, 23, 4 Tullus ferox magnumque deorum numen .. in omne nomen Albanum expetiturum poenas ob bellum impium dictitans. Similia apud alios scriptores exempla sunt (pro vulgari illa structura poenas expetere ab aliquo): Sall. Iug. 65, 3 in imperatorem poenas petat, Curt. 4, (28) 6, 29 Achillen imitatum se esse poena in hostem capienda. Haec igitur explicatio cum tota Livii dicendi consuetudine optime congruit. Num tamen aeque vera altera illa est, quam docti viri temptarunt? Namque ab usu Livii recedentes in locutione Plautina se totos collocarunt. Octiens enim in comoediis (sexiens in Amphitruone) expetere neutra significatione occurrit, quae proprie est foras porrigi, se extendere, protendi, dirigi, eniti, deinde provenire, procedere, incidere, accidere, evenire, denique erumpere (ingruere) in aliquem, Transitivum autem est tendere (prorumpere) versus (mare medium terrae locum expetens, Cic. n. d. 2, 116), sectari, studiose quaerere, adfectare, consequi studere, deposcere, exposcere, repetere. Plaut. Amph. 1, 3, 23 Nequiter paene

expetivit prima parasitatio (processit, evenit), Poen. 3, 3, 22 bono si malefacias, id aetatem expetit (in totum vitae tempus extenditur, manet), Mil. 2, 4, 40 eadem in vigilanti expetunt, quae in somnis visa memoras (i. e. accidunt), Amph. 1, 1, 20 in servitute expetunt multa iniqua (i. e. incidunt), 1, 2, 33 deum non par videtur facere, delictum suum suamque culpam expetere in mortalem ut sinat (erumpere, recidere in caput mortale), 2, 1, 45 carnufex, quoius ego hodie in tergum (in tergo cdd.) faxo ista expetant mendacia (h. e. recidant), 3, 1, 12 mea sit culpa, quod egomet contraxerim, id Alcumenae si innocenti expetat (secus eveniat), 3, 2, 15 insonti mihi illius ira in hanc et maledicta expetent (Amphitruonis ira et maledicta in Alcumenam Iovi insonti ingruent s. male evenient, ita ut is, qui Alcumenae convicia non fecerit, ab ea repellatur). Dicuntur igitur per archaismum delicta, vel quod quis commisit, expetere alicui insonti, expetere in alium multo inferiorem, expetere in tergum (in tergo?) servi. Nec tamen necessario sequitur, ut clades belli, vel calamitates, quae quis pertulit, in alium, nimirnm in auctorem earum, expetere universe dicantur. Ceterum ex vulgari loquendi more Tullus deos testes fecit, ut aliquid facerent ipsi, non simpliciter eo consilio, ut res aliqua accideret.

24, 7 *illis legibus non deficiet* ita dictum est, ut »illis legibus satisfaciet«, vel negative: illis legibus non deerit, non infidelis erit. Itaque legibus est dativus. Vulgo autem pro ablativo habetur eodem sensu, quo a legibus non deficiet, desciscet, se alienet. Qui verbi usus sine praepositione inauditus est.

27, 7 *inde* causale esse dicit H. I. Mueller. At cf. 1, 33, 5 Ancus acie primum vincit; inde ingenti praeda potens Romam redit. 23, 16, 10 Hannibali... primo miraculo esse, quod...; ratus deinde ctt.

46, 2 *Neque ea res Tarquinio spem adfectandi regni minuit,* »Doch dieser Umstand minderte nicht des Tarquinius Hoffnung nach dem Throne zu streben«. Sed s p e s adfectandi regni non ita dicitur ut 1, 50, 4 adfectare imperium in Latinos, aut 2, 7, 6 regnum eum adfectare fama ferebat, quasi sit tantummodo appetere regnum; nam spes certa (non minuta) minime respicit conatum, sed successum conatus felicemque rei eventum. Neque adfectare propria illa significatione terminatur, sed aucta vi est prospero successu appetere, prospere appetendo attingere, adsequi, occupare. Adeo consequendi vel potiundi iam huic verbo inest notio, etsi, ut modo indicavi, proprie dicitur de conatu possidendi, aliquid ad se trahere (vindicare) studere, occupare aggredi, vel, ut G. Cortii verbis utar, »adfectare pro-

prie est quaerere, ut adficiamus, ut nostra faciamus». 29, 6, 2 Spes autem adfectandae eius rei ex minima re adfulsit, »Die erste Hoffnung aber zum Gelingen des Versuches gab ein sehr unbedeutender Umstand». Vell. 2, 39 Gallias saepe et adfectavimus et amisimus. Tac. Hist. 4, 66 Civilis proximas civitates adfectare aut adversantibus bellum inferre statuit. Sall. Iug. 66 civitates, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia adfectare. Virg. Aen. 3, 670 Verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas. Hanc illius verbi vim lexicographi neglexerunt.

Ut, ubi dicitur *spem adfectandi regni minuit*, nimis anguste acceptum est *adfectare*, sic 21, 57, 6, *eius castelli oppugnandi spe*, vocem *oppugnandi* artius intellectam ad eum locum docebo.

Addenda et corrigenda in Collatione codicum Livianorum.

Indicantur paginae et versus ex editione Madvigii. 5, 17 *attys* P (atys p). — 9, 13 *tum* n (dum N). — 12, 8 *satis se impigre* cdd. — 21, 10 *salios* T Laur. 3. r d b p in marg. edd. 1. 3. Ald. *alios* MRDFPU Bamb. NAE. — 21, 18 *erogetur* F. *rogaretur* B Magl. *erogaretur* r. — 26, 24 *quo prope* cdd. — 37, 14 *edidere. Nam et Romanis* Ald. — 43, 22 (non 10) *quin* (Errores in numerandis versibus commissi facile deteguntur). — 45, 24 et 33 *pomerium* cdd. — 45, 25 *pomerium verbi uim* cdd. — 62, 25 *pignera* MFP. — 67, 2 *maxume* MRP. *maxime* Um. — 75, 22 *porsennam* RF m p. — 89, 31 *m. ualerium* cdd. — 91, 11 *montes* (MRFU). — 93, 7 *in his* (cdd.). *Inis* P. *In iis* p. — 102, 16 *furoris* (RFPU). — 105, 9 *pximi* M (proximo P). — 110, 7 *sperneret* cdd. — 113, 4 *resistentes* (RFPU). — 113, 11 *edixerunt* cdd. — 114, 20 *meneni* MP. 118, 8 *aduocabantur* cdd. — 123, 26 *iniqum* M, *iniquum* m. — 172, 8 *mortem* RFU p.

Nonnullas differentias in Epilegomenis criticis plenius et perfectius descripsi.

Ex collatione Riemanni haec de Mediceo addenda sunt: 14, 6 resistere. — 23, 24 colloquia. — 26, 27 romani. — 29, 30 exsequerentur. — Ad Romanum codicem hoc addendum: 11, 29 sua vice. Has variantes lectiones praetermiseram. — Non sunt silentio praetereunda alia, quae pugnant cum meis adnotationibus. 1, 19 et ipsum. »Dans M, j'ai cru lire: et ipsum 1re m., et me ipsum 2^e^ m.» Riemann. »et ipsum PM», Alschefski. Quod ad m. 2. attinet, quam neglexit Alsch., cum Riemanno congruit descriptio mea, de m. 1. cum utroque pugnat. Mansit sola littera e, ante quam aliquid ad marginem deletum videtur, post nihil, neque, si fuisset *me*, primum id m. 2. delevisset, tum supra denuo eandem vocem adscripsisset. Verisimilius igitur mihi videtur principalem illius codicis scriptionem fuisse *me ipsum*, quod etiam in RNOEQ legi, licet de R dubitet Riemann; certe D hoc loco recedit, etsi in hoc quoque, id quod non addidi, m. 2. mutatum voluit in *& me ipsum*. E re fuisset ibi B Magl. Laur. 3. conferre.

3, 29 in agrum Laurentem exissent. »laurentem MRNS Ver. Laur. 1. 2. 3. Magl.» Riemann. Quod hoc loco (nam aliter, ut monui, § 4 legitur) in MR sic legi negaverim, de ceteris cdd. addubito. Facilis fuit permutatio locorum vicinorum. In plerisque saltem atque optimis exstare »in agrum laurentinum exissent» etiam ex iis, quae Drak., Alsch., Hertz retulerunt, facile apparet. M ab Hertzio nominatim his adnumeratur. Equidem id tantum indicavi, me in nullo codice aliud hic quam laurentinum vidisse.

22, 21 »etiam romulus R, etiam romulo r». Riemann. Prima autem scriptura est *ẽtiã romul.* Supra versum post l additum est o cum inserendi nota. — 24, 3 »propior es vulscis R». Riemann. Litterae *r es* in rasura scriptae sunt, sequentes syllabae seiunctae, ut indicavi. — 25, 1 »id sanciendum est R». In exitu versus exstat *id* cum virgula super consonam *d*, ut sit idem. — 25, 35 »conclamassent R». Credo me recte legisse *clamassent.* — »28, 13 constructumque est ibi R». Riemann. Contendo autem R habere, quod adnotaveram, *constructum est ibi.*

I **Upsala Universitets Årsskrift** har utkommit:

Edman, L., Zur Rection der Deutschen Präpositionen. *2: 75.*

Geijer, P. A., Étude sur les Mémoires de Philippe de Commines. *1: 25.*

Kempff, Hj., Kaniken Gamles Harmsól, Öfversättning och Förklaringar. *1 kr.*

Klockhoff, Osc., Partalopa Saga, för första gången utgifven. *2 kr.*

——, Studier öfver þidreks Saga af Bern. *50 öre.*

——, Studier öfver Eufemiavisorna. *1: 75.*

Landtmanson, C. J. G., Undersökning öfver Språket i skriften: "Um Styrilsi Konunga ok Höfdinga". *2: 10.*

Leffler, L. F., Några Ljudfysiologiska Undersökningar rörande Konsonantljuden. I. De Klusila Konsonantljuden. *1: 75.*

——, Om V-Omljudet af *i*, *ı* och *ei* i de Nordiska Språken. I. Om V-Omljudet af *ı* framför Nasal. *2 kr.*

——, Om 1607 års upplaga af Uplandslagen. *75 öre.*

Lidforss, W. E., A Survey of the English Conjugation. *35 öre.*

——, Beiträge zur Kenntniss von dem Gebrauch des Konjunktivus im Deutschen. *70 öre.*

Lind, E. H., Om Rim och Verslemningar i de Svenska Landskapslagarne. *1: 75.*

Linder, N., Om Allmogespråket i Södra Möre Härad af Kalmar Län. *3: 15.*

Ling, A., Sur les Verbes Forts des Langues Romanes. } *Tills.*
——, Saggio su' Pronomi Personali della Lingua Italiana. } *1: 25.*

Lundgren, M. F., Spår af Hednisk Tro och Kult i Fornsvenska Personnamn. *1: 50.*

Noreen, Ad., Fryksdalsmålets Ljudlära. *1: 50.*

——, Om Behandlingen af Lång Vokal i förbindelse med följande Lång Konsonant i de Östnordiska Språken. *50 öre.*

Petersson, A. M., Sur les Phrases Conditionelles de la Langue Française. *45 öre.*

Richert, M. B., Försök till Belysning af Mörkare och Oförstådda Ställen i den Poetiska Eddan. *1 kr.*

Sidenbladh, K., Allmogespråket i Norra Ångermanland. *1: 35.*

Säve, C., Om Språkskiljaktigheterna i Svenska och Isländska Fornskrifter. *25 öre.*

Tamm, Fr., Om Fornnordiska Feminina, afledda på *ti* och på *iþa*. *1: 25.*

——, Om Tyska Ändelser i Svenskan. *1 kr.*

——, Svenska ord belysta genom slaviska och baltiska språken. *1 kr.*

Uppström, W., Gotiska Bidrag, med särskild hänsyn till de Ambrosianska Urkunderna. *75 öre.*

Pris 1 kr. 50 öre.

UPSALA UNIVERSITETS ÅRSSKRIFT 1881.
FILOSOFI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORISKA VETENSKAPER. VI.

EPILEGOMENA

AD T. LIVII LIBRUM VICESIMUM PRIMUM.

SCRIPSIT

ANDREAS FRIGELL.

UPSALA
AKADEMISKA BOKHANDELN.
(C. J. LUNDSTRÖM.)

EPILEGOMENA

AD T. LIVII LIBRUM VICESIMUM PRIMUM.

SCRIPSIT

ANDREAS FRIGELL.

Upsala Universitets Årsskrift 1881

Filosofi, Språkvetenskap och Historiska vetenskaper. VI.

UPSALIAE MDCCCLXXXI

TYPIS DESCRIPSIT JESAIAS EDQUIST

Epilegomena ad T. Livii librum vicesimum primum.

Scripsit

Andreas Frigell.

Quam ob causam ad libros quosdam T. Livii, quos his duobus annis potissimum in usum scholarum foras dedi, separatim disputationes criticas adiiciendas putarem, in Epilegomenis ad librum primum quinque abhinc menses in his Annalibus publicatis indicavi. Morem secutus Gronovii aliorumque a lectionibus, quae hodie vulgo probarentur, etiamsi nonnumquam satis dubiae essent, nisi forte necesse esse videretur, non statim recedere consultissimum esse arbitrabar. Iuvat igitur in hac parte operis quasi liberius respirandi occasionem invenisse reique paulo uberius tractandae. Alia tamen in hac decade ratio est censurae agendae quam in prima, ubi de codicum diversorum maiore vel minore praestantia ante omnia disserendum erat. In tertia autem nemo negat ceteris longe praestare Puteaneum, qui in celebri bibliotheca Parisiensi numerum obtinet 5730. Amissis vero huius foliis nonnullis desunt hae partes libri vicesimi primi: 1, 1 In parte operis — ni subinde auro cu 20, 8 (prope viginti prima capita), 21, 13 Carthagini praesidio — fore adfirmantes in 29, 6 (iterum octo capita), 30, 11 posse Poenus — et non pro 41, 13 (quae est ultima lacuna undecim fere capitum). Ad hunc dignitate proxime accedunt Colbertinus, qui est in eadem bibliotheca n:o 5731, et Mediceus Florentiae in bibliotheca Laurentiana plut. 63 num. 20. Minoris momenti alii sunt, quos passim inspexit Drakenborch. Puteaneum totum perlegi, Colbertini librum vicesimum primum, Medicei autem collatione, quam dedit Alschefski, usus sum.

Editionum magna mihi copia praesto fuit inprimis in bibliotheca Academiae Upsaliensis, de quibus ad finem huius libelli plura dicam ac simul explicabo compendia, quibus in varietate scripturae enotanda editiones excepi. Codices vero illos tres litteris initialibus

(P, C, M) significabo. Est quidem omnino singularum editionum scriptura haud magni momenti, tamen non paucis eorum, qui hos libros olim edendos curaverunt, opportunitas fuit membranas adeundi, quae iam perierunt, multaque cum a veteribus inventa ac diuturno usu commendata tum a recentioribus artis criticae studiosis magnis plausibus excogitata in dubiis praesertim rebus digna certe sunt, quae indicentur et perpendantur. Nihilo minus tanta auctoritas est codicum optimorum, ut, nisi in qua re ad corruptelam proclivitas manifesta sit aut apertus error fortuitus, nostro iure iis maiorem fidem habeamus quam ingenii levitati atque arrogantiae criticorum. Certos utique terminos in coniecturis commemorandis mihi constituam et contentus ero, si ea ipsa, quae in praesens maxime necessaria sunt, dixero.

1, 2 *conserebant* CM (ut de M ex silentio Alschefskii colligo). Dicitur vulgo manus, dextras conserere, item (21, 50, 3) navis conseritur, nempe ad pugnam, tum simpliciter pugnam, proelium, certamen, bellum conserere; quo ipso modo manum committere alicui, deinde pugnam, certamen cet. committere. Itaque *inter se conserere* est inter se implicare ad certamen, quasi quodam vinculo circumdato inter se iungere ad pugnandum. Translate autem *haud ignotas belli artes inter sese conserere* proprie ad pugnam inter se committere, in certamen coniicere, i. e. contendere inter se belli artibus usos, belli artibus concertare. Ita vero scriptum invenio in omnibus fere edd. (1. 3. Mog. Ald. Frob. cett.) usque ad hodiernum diem, exceptis his, in quibus est *conferebant:* Venet. 1777, Manhem. 1779, Stroth. Rup. Giov., denique Madv. ed. 3. Etiam ex ed. quadam Parisiensi ante Modii aetatem haec scriptio refertur atque ex vilissimo cod. Harleiano, qui an. 1454 exaratus est. Coniunguntur interdum ea verba, ut 21, 50, 1 conserere pugnam et ex propinquo vires conferre (cf. 4, 27, 5). Falso scripserunt nonnulli 26, 39, 12 conferebant ex propinquo pugnam. At Sen. Dial. 1, 3, 3 Alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. *Vires conferre* est periculum virium facere, in certamine vires suas experiri, *arma inter se conferre,* uter usu armorum superior sit, experiri. Quibus inest comparandi vis. Hoc autem loco non de comparatione belli artium utriusque populi, sed de concertationis modo agitur.

1, 5 *Sicilia, Sardiniaque amissae: nam et Siciliam — concessam et Sardiniam — interceptam.* Scribendum videtur Madvigio *Sicilia — concessum;* sed alterum illud postulat tum congruentia participio-

rum tum sensus ipse; nam non tam Sicilia concessisse Carthaginienses Hamilcarem pigebat, quam quod pacis condicionibus eam insulam Romanis concesserant. Dativus (nempe Romanis) ad *concessam* facile intelligitur. Cf. 36, 30, 1 concessa militi praeda.

2, 2 *quae* Iun. Rhen. Cur. Gryph. Gron. Drak. Mvg. Wfl. *qui* CM rell. cdd. 1. 3. Asc. Mog. Ald. Sob. Gryn. Rudd. Als. Wsb. Hrw. *cui* Hertz. Non igitur a Rhenano (ed. Frob. 1535), ut crediderat Drak., sed ab »Aldinarum simia Iuntina« *quae* illud profectum est, idque forsitan errore, nam Ald. maior siglum habet, quod *qui* significat, sed pro *quae* accipi potuit. Cui scriptioni a Rhenano receptae magna auctoritas conciliata est, quoniam vera origo in oblivionem venerat. Ceterum Rhenanus in ea parte cod. Spirensi destitutas vix maioris fidei est quam Iuntas aut Iuntae haeredes. Minime vero credibile est, si *quae* a Livio scriptum esset, futurum fuisse, ut id hoc loco in *qui* mutaretur. Nihil sane esset, quod offenderet, si hoc ordine verba collocarentur: »ut appareret — — Poenos, qui Hannibalis ductu arma Italiae intulerunt, Hamilcare duce, si diutius is vixisset, illaturos fuisse«; sed commodius erat scriptori »si diutius vixisset« et simul »Hamilcare duce« praecedentibus adnectere, quo paullulum remota sunt illa »qui Hannibalis« cet. Ut Livii fert opinio, qui Hannibalis tandem ductu Romanos aggressi sunt hostes, ii, si pater eius diutius vixisset, hoc ipso duce aggressi essent. Neque, quae arma tum demum intulerunt, ea iam antea illaturos fuisse bene dicitur, neque, cui Italiae Hannibalis tempore arma intulerunt, ei Hamilcare vivo illaturos fuisse. Carthaginienses Hamilcare duce arma contra Romanos capturi fuerunt, ut iidem revera Hannibalis ductu ceperunt; non autem arma eadem ab utroque Italiae fuisse inferenda, aut Italiae eidem arma et patrem et filium illaturos fuisse sanae sententiae esse videtur. Arma inferre, quia unius verbi vice funguntur, ad alterutrum solum pertinens respuunt additamentum.

2, 4 *Barcinae* Gron., nescio qua causa, scribere coepit pro eo, quod priores ex libris manu scriptis servaverant, *Barchinae*, qua scriptione genuinae appellationi litterae C melius consulitur.

2, 6 *palam ob iram* CM Ald. Sob. Frob. sqq. *ob iram palam* 1. 3. Asc. Mog. — *interfecti* 1. 3. Mog. sqq. *interfecit* CM. *obtruncati* Wfl. — *obtruncat* Als. Wsb. Mvg. *obtruncati* CM. *obtruncavit* 1. 3. Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. *interfecit* Wfl. Obtruncare magis servo convenit quam Hasdrubali. Constans est in cdd. ordo verborum.

5, 6 *eorum urbes* Franc. Sanctius coniecit. Monuit ex Polybio Sigonius fuisse Arbocalam Vaccaeorum urbem. *cartæorum urbes* C

(non »carta eorum», ut refert Als.). *cartoerum urbes* M. *Carthorum urbes* 1. 3. Asc. Ald. *Carteiorum urbes* Mog. Ald. mai. Sob. Grut. *urbes* Gron. Drak.

6, 1 *belli causa certamina* edd. *belli causa. Certamina* Mvg. Bellum nondum erat, sed iam quaerebatur causa belli certaminibus serendis cum finitimis Saguntinorum. *Belli causa* certamina serebantur ita dictum est, ut appositione illa enuntiaretur, quo consilio cum finitimis sererentur certamina.

6, 6 *totum in Hispaniam — intenderant bellum*, ac nimirum ibi tantummodo gerendum censebant. Quod distincte addere Livio non opus fuit, ubi indicavit dumtaxat, consilia eorum quae fuissent. Quam rem minus considerantes non solum veteres editores, sed etiam quidam recentissimorum relicta codicum scriptura *intendebant* praetulerunt.

8, 4 *distineri coepti non sufficiebant* (ubi CM *dist. coepti sunt non suff.)* Weissenbornii est coniectura, quam vituperat Madvig Em. Liv. ed. 2. p. 257 existimans nimis dissolute haec poni, illo, quod sequitur, *itaque* ad sequentia tracto, postea ipse assumpsit atque *itaque* ad sequentia traxit. Ante Bekkerum et Alschefskium sic antiquitus legebatur: »distineri coepti sunt: et non sufficiebant. Iam enim feriebantur» cet. Monuerat tamen Gronovius percussos ariete muros non iustam causam fuisse, cur oppidani parum sufficerent. Nesciebat meliores cdd. non *iam enim*, sed *itaque iam* habere.

8, 5 *prociderunt* codicum est scriptura, *prociderant* editionum ante Alschefskium, ac sic fortasse scribendum arbitratur Woelfflin plusquamperfecti praecedentis respectu habito. Eam autem convenientiam non semper observari exempla docent, in quibus 2, 1, 2 Quae libertas ut laetior esset, proximi regis superbia fecerat. Nam priores ita regnarunt, ut cet.

8, 9 *confertim* CM, quod diu integrum servabatur. *conferti* scribi iussit Gron., cui multi temere paruerunt; nam prae aliis adverbiis frequentia apud Livium sunt, quae in -im exeunt, adeo ut etiam nova fingantur (punctim, pagatim, regionatim). Confertim vero non est novum. — *pugnabant* Gron. *oppugnabant* M. *pugnabantur* C. *pugnabatur* C m. 2. (non C m. 1., ut perhibet Alschefski), edd. ante Gron. Quod sequitur verbum, *vulnerabantur*, confusionem effecit.

8, 10 *phalarica* et *falarica* varie scribebatur; illi scriptioni favent CM, huic edd. ante Alsch. Etiam 34, 14, 11 olim omnes, hodie saltem Hertz et Wsb. *falaricis* scribunt, atque etiam in aliorum scriptis littera f usitatior fuisse videtur.

9, 4 *Carthaginem protinus* M, Bkr, Htz, Wsb. ed. Teubn. *protinus Carthaginem* C edd. pleraeque ac veteres quidem omnes; quod, quia M in verbis collocandis, ut monet Als., minoris fidei est, praeferendum.

10, 9 *dii hominesque* cdd. edd. *di homines* Mvg, Wfl. — 12 *deposcat* l. 3. Asc. Mog. Ald. mai. Iun. Sob. Grut. Gron. Drak. Crev. Mvg. Wfl. *deposcit* CM Ald. Als. Wsb.; quod in oratione obliqua ferri non potest.

11, 3 *in hostes* potissimum cum *ira* coniungit Wfl., ut respondeat ad genitivum sequentem *praemiorum*, quasi sit nunc ira in hostes, nempe stimulando in hostes, nunc spe praemiorum, manca de cetero hac parte. Binae res oppositae ablativi illi sunt et epexegeses eorum; namque praemiorum tantum valet, quantum praemia proponendo. Ira et spes incitamenta sunt ad vincendum: 2, 45, 14 eunt in pugnam irarum speique pleni. Cum milites Hannibal in hostes stimulat, animos eorum ira accendit, spe autem, cum praemia pollicetur.

13, 1 *Alco* CM Bkr, Als. sqq. *Alcon* edd. priores. — Ib. *quo nec orator Hannibalis nec transfuga ad vos venissem*, h. e. nam nec orator nec transfuga hoc iter suscepissem, nullo modo Alconis personam gessissem (qui orator venit, transfuga ex oratore factus mansit). Iam vero (nec oratorem nec transfugam, sed) pro vetusto hospitio benevolum amicum ad Saguntinos ipsorum causa, non ullius alterius, se venire denuntiat, quippe qui, ne ignorarent esse aliquas utique salutis condiciones, apud eos vera referre auderet. Se quidem non desperare, cum omnium rerum potestas Hannibali facta esset, aliquid ex pacis condicionibus magis necessariis quam aequis eum remissurum. Aliter hoc loco accepto Alschefski *venissem* pro *veni* scriptum esse existimat, Madvig *venissem* ex *veni; set* ortum esse contendit.

19, 6 *ut adirent civitates, ut in* cet. CM edd. fere omnes. *et in* Mvg unius codicis deterioris auctoritate. Geminatum *ut* recte intellectum (adirent eo consilio, ut) nihil miri aut insoliti habet.

19, 9 *fecerunt.* »Drak. contra codd. *fecerunt, Saguntinos*«, adnotat Mvg, qui Em. Liv. p. 259 Weissenbornium *Saguntini* scripsisse refert, cum antea *Saguntinos* ederetur. Nec Drakenborchio illud tribuendum est nec hoc Weissenbornio. Iam enim in l. 3. Mog. Ald. mai. Grut. Gron. aliisque antiquis *Saguntinos* legi, in Ald. min. Sob. Frob. *Saguntini*, quae est scriptio codicum optimorum casu facile mutato, cum verbum regens longius abesset, quo modo saepe contra nexum orationis pravae fiunt casuum mutationes.

Quamobrem eiectionem nominis in religionem traho. Immo restituto hoc nomine haud scio an magis augeatur quam minuatur vis sequentium: Saguntinos — Saguntina clades — Sagunti ruinae. Repetitiones vocabulorum brevi intervallo apud Livium frequentissimas esse constat. Cf. Epilegomena ad Livii lib. I. p. 59 et 64.

20, 4 *avertere in se*, vertere alio, quam quo dirigebatur, et quidem in semet ipsos. Codices *advertere*, quod in ed. 3. tacite recepit Mvg. Sunt in hac re parvae fidei codices, qui saepe falso *adv.* pro *av.* in verborum initio praebent, velut 1, 28,5 adverteretur, 2, 31, 6 adversas. Recte scribitur 37, 9, 7 In portum, quem vocant Achaeorum, classem primum advertit; falso autem ex cdd. 21, 49, 2 tres (naves ad depopulandam oram Italiae a Carthaginiensibus missas) in fretum advertit aestus. Est enim *advertere* flectere alqd aliquo, *avertere* autem de via instituta in alium cursum deflectere. Itaque, ut par est, contra cdd. tum ibi omnes fere praeter Wsb. «in fretum avertit aestus» exhibent, tum eo loco, qui adest, excepto Madvigio legunt «ipsos id avertere in se», quia non de aggressione Carthaginiensium primum dirigenda, sed de ea iam constituta alio flectenda quaestio est, idque ita, ut, quod effugere Galli possent periculum, si cum bona pace exercitum per fines suos transmitterent, ei se ipsi obiicerent.

20, 9 *tramisisse* prima scriptura est Puteanei, cuius primum folium modo incepit, tamen dubium est et propter *n* supra *am* antiqua manu positum et quod CM atque omnes ante Gron. edd. *transisse* tenent et quod fere semper de mari (non de fluminibus) in usu est tramittere (de Rhodano absolute 21, 27, 7). Iam ad transisse redierunt Wfl. et Mvg.

22, 1 *firmatque eum* — — *praesidiis* suspectum habetur, quia praesidiis firmari urbes, castra, civitates, loca vulgo dicuntur, non homines. Pronomen *eum*, quamvis et codicibus et antiquis edd. nitatur, eiicit Wfl., uncis includit Wsb., in *eam* mutat Mvg ed. 3. Re vera tamen Hasdrubal et ipse firmabatur firmata provincia eius non solum peditibus, equitibus atque elephantis (terrestri auxilii genere § 3), sed etiam classe, quare praesidia hic idem fere sunt ac subsidia, sive diversa auxilii genera. Dicitur autem aciem subsidiis, multitudinem stationibus firmare. Cf. Suet. Galb. 19 nihil amplius quam continere se statuit et legionariorum firmare praesidiis.

22, 2 *quingentis* ex Polybio (3, 33) additum, postquam in scriptura DAD (post numerum enim AD proximum erat) prius D facile excidit. Iam Sigonius monuit harum copiarum summam ad verbum sumptam esse e catalogo Polybii (3, 33). Tamen non plena est

congruentia. Huius enim in reliquis index copiarum, qui partim alio ordine exponitur, cum cdd. Livianis CM comparatus tres in numeris equitum differentias praebet: *ἱππεῖς Λιβυφοινίκων μὲν καὶ Λιβύων τετρακοσίους πεντήκοντα, Libyphoenices, mixtum Punicum Afris genus, quadringenti* (CCCC CM, trecenti edd. vett.), *Ἰλεργητῶν δὲ, τριακοσίους, et parva Ilergetum manus ex Hispania, ducenti equites, Νομάδων δὲ, Μασσυλέων . . καὶ Μαυρουσίων τῶν παρὰ τὸν ὠκεανὸν, χιλίους ὀκτακοσίους, et Numidae Maurique, accolae Oceani, ad mille octingenti.* Quod quidem *ad* in ultimo numero tollendum ac praecedentes duo numeri augendi, ut perfecta sit convenientia.

22, 4 *ad tuendam maritimam oram* (ut est iam in antiquissimis edd.) legens apud Wsb. nihil ex C de casuum varietate (*tuende* cet., quae feruntur) adnotavi.

22, 5 *rediit* edd. omnes ante Als., qui unius codicis C auctoritate *redit* scripsit; quem sequuntur Wsb. et Wfl., non Hrw. aut Mvg. Neminem moveat vicissitudo temporum, praesertim cum praesens illud *ducit* in narratione usitatius sit. *maritumam oram ducit* cdd. ex more isto quaelibet nomina falsa obiectorum specie ad vicina verba transitiva trahendi. *praeter Onusam urbem*, quod nomen 22, 20, 4 in P apertum est; idem vero utrobique intelligendum esse iam Ukert p. 415 suspicatus est. Priore autem loco, ubi in cdd. et primis edd. *omissam* legitur, inde ab Rhenano usque ad M. Muellerum *Etovissam* lectio fuit vulgata; quod nomen urbis Glareanus apud Ptolemaeum (2, 6, 63) invenerat (*Ἠτόβησα* urbs Edetanorum). Ascribit Drak.: «Si Hannibal maritima ora ab Carthagine Nova ad Hiberum duxit, Etovissa urbs maritima esse debet, quam tamen Ptolemaeus inter urbes mediterraneas Edetanorum recenset, ubi eiusdem populi oram litoralem describit, nullam Etovissae mentionem faciens.» Maritimam urbem ab ostio Hiberi fluminis versus meridiem sitam Onusam fuisse apparet ex narratione Livii 22, 19 sq., ibique Valentiam coloniam in regione Edetania ponit Plinius (3, 4, 20), quod nomen Livio notum fuit (Per. 55), quare alia in iis regionibus urbs Onusa fuisse videtur.

23, 4 *insuperabilique Alpium transitu* cdd. edd. Sic etiam 21, 36, 4 Ea vero via insuperabilis fuit (*ἀδύνατος πορεία* Polyb.). Utroque loco ab omnibus cdd. et edd. discedens *inexsuperabilis* substituit Wfl., quem sequuntur et Mvg et Wsb.; negat enim altera voce Livium usquam usum esse. Sed si e cdd. novimus, quibus verbis Livius usus sit, his utique locis duobus *insuperabilis* ab eo scriptum est. Verum quidem est multo pluribus alterum apud eum

deprehendi: num vero continuo sequitur, ut bis apparens simplicius illud extrudendum sit? An per sermonis rationem ferri minus potest? Transcendendi vim apud Livium semel habet exsuperare: 44, 18, 3 angustias (saltuum, ut in aequa loca perveniatur); saepius superare: Alpes 5, 34, 12, munitiones 5, 8, 10, brachium (munitionum) 38, 5, 8, vallem 1, 12, 4. Est etiam 25, 23, 12 superabilis (murus mediocribus scalis), nusquam exsuperabilis. Inexsuperabiles dicuntur a Livio inprimis Alpes, montes, saltus (5, 34, 6. 39, 54, 12. 43, 18, 1. 36, 17, 3); item ripa, munimentum, alia (44, 35, 9. 42, 54, 1. 38, 20, 8. 37, 53, 11. 21, 30, 9. 44, 46, 5. 8, 7, 8. 21, 30, 7). Ubi vero 21, 23, 4 et 36, 4 viam vel transitum insuperabilem vocat, non tam de ipsa altitudine cogitatur quam de ceteris progrediendi difficultatibus. Ait Woelfflin formam illam *insuperabilis* ex poesi primum in argenteae aetatis prosam orationem receptam esse. Quid *inexsuperabilis?* Id ne a poetis quidem commendatur, nec omnino ante Livium et Velleium apud ullum scriptorem comparet. Virgilius de Gaetulis (Aen. 4, 40) genus insuperabile bello.

23, 6 *quos et ipsos gravari militia senserat* coniectura est Mureti ab edd. recentissimis recepta; cdd. non *ipsos*, sed *ipse* habent, quod ab edd. et veteribus et recentioribus plerisque servatur. Non facile *quos et ipsos* in *quos et ipse* a librariis mutatum esse monuit iam Fabri (cf. Sall. Iug. 41, 9 *semet ipsam praecipitavit* cdd. plerique et optimi improbantibus editoribus): itaque praecipua cautela in ista casus mutatione opus est, inprimis si consideramus, quam paulum differat hoc exemplum ab iis, ubi cum pronominibus mihi, me, sibi, se cet. ita iungitur ipse, ut attractione quadam ad verbum, quod sequitur, in casu recto separatim ponatur, licet oppositionis ratio requirat obliquum, cum idem revera sit subiectum et praedicatum. Cuius rei Ciceroniana maxime adferri solent exempla, eademque apud Livium frequentissima sunt, in quibus haec e propinquo petita: 21, 14, 1 argentum aurumque omne in ignem coniicientes eodem plerique semet ipsi praecipitaverunt, 22, 60, 23 dies noctesque aliquot obsessi vallum armis, se ipsi tutati vallo sunt, 22, 22, 14 Ministerium restituendorum domos obsidum mihimet deposco ipse, 22, 19, 11 Poeni suomet ipsi tumultu turbati in fugam averterunt classem, 21, 33, 3 suoque ipsum tumultu misceri agmen videre (suo ipsum tumultu miscebatur), 22, 14, 13 classem gravem commeatibus, impeditam suomet ipsam instrumento atque apparatu, oppressit (quae suomet ipsa instrumento impedita erat). Cf. Flor. 2, 19 (Populus Romanus) denique in se ipse conversus Marianis atque Sul-

lanis, novissime Pompeii et Caesaris manibus, quasi per rabiem et furorem semet ipse laceravit. In hac tanta proclivitate ad nominativum pronominis illius demonstrativi usurpandum etiam «quos et ipse senserat», ubi «quos et ipsos senserat» exspectaretur, scribi potuisse suspicor.

24, 5 *gravate* omnes edd. ante Als.; sic etiam 3, 4, 6; 4, 48, 9; 32, 32, 6; 42, 43, 2 (*gravatim* 1, 2, 3), *gravanter* CM, quod primi ediderunt Wsb. et Mvg, probant Hrw. aliique. Similia sunt ex verbis eiusdem coniugationis adverbia amanter, constanter, inconstanter, dubitanter, indubitanter, dissimulanter, praecipitanter, alia. Primum apud Livium exsistunt cunctanter et perseveranter. Triplex adverbii forma non inaudita est: festinate, festinatim, festinanter.

25, 9 *praecipitat* Mvg, qui adnotat: «P, Drak. praecipitatus». P afferri non debebat, nam hoc loco nullus est; sed tum reliqui cdd. tum omnes edd. praeter paucas recentissimas *praecipitatus* tuentur; nam, quod coniecerat Gron., *praecipitatur*, Wsb. et Wfl. demum in contextum receperunt. Qua de re ut certius iudicetur, verbi illius usus paulo accuratius cognoscendus est. Non solum Livius, sed etiam alii plerique et poetae et solutae orationis scriptores activo *praecipitandi* verbo pro intransitivo utuntur. Plaut. Trin. 265 Nam qui in amorem praecipitavit, peius perit quasi saxo saliat, Lucr. 4, 626 (sucus) deorsum per fauces praecipitavit, 6, 292 videtur aether praecipitans ad diluviem revocari, Virg. Aen. 10, 804 effusa grandine nimbi praecipitant, 4, 251 flumina mento praecipitant senis, 11, 617 Aconteus praecipitat longe, 2, 9 nox humida caelo praecipitat, Cic. Legg. 2, 3 Fibrenus praecipitat in Lirem, Rep. 6, 18 Nilus praecipitat ex altissimis montibus, N. D. 1, 32 Praecipitare istuc quidem est, non descendere, De or. 3, 48 in amni praecipitante, 3, 55 sol praecipitans, Caes. b. c. 3, 25 hiems iam praecipitaverat. Liviani septem huius generis loci nullam controversiam recipiunt: praecipitare in insidias 2, 51, 5 et 6, 30, 4, in fossam 25, 11, 6, in puteum apertum 27, 16, 4, in vallem insessam ab hostibus 43, 23, 4; denique 39, 2, 3 praecipitantes fugerunt, 27, 40, 3 praecipitavit Romana res. Accedit forma passiva 3, 43, 5 Nuntiant praecipitatum in insidias esse. Narratur his locis de fortuna, a qua et culpa et consilium abest. De iis vero, quae consilio et dedita opera vel delicto commisso fiunt, dicitur se (aliquem, aliquid) praecipitare (in ignem, in fluvium, de turre cet.) 4, 12, 11; 21, 14, 1; 23, 19, 6; 23, 37, 5; 39, 10, 8; 41, 11, 4. Passive et translate 22, 12, 11 ad rempublicam praecipitandam. De usu autem

passivi dissentiunt viri doctissimi. Haec habet Wsb. ad 5, 18, 7: «Livius bezeichnet die beabsichtigte Handlung durch se praecipitare, die nicht beabsichtigte durch die active Form in neutraler oder reflexiver, durch die passive in medialer Bedeutung.» Mvg autem Em. Liv. p. 170 Livium, ait, de iis, qui in insidias locave iniqua casu incidant, non ab aliis trudantur, non modo plerumque, sed semper activo hoc verbo pro intransitivo usum esse, haec addens p. 171: Ubi proprie de cadentibus in praeceps agitur, etiam passivum ponitur; exempla affert 22, 6, 5; 36, 30, 4; 38, 2, 14. Itaque, ubi proprie de iis dicatur, quae in caput deorsum ferantur, «etiam passivum» (non modo activum) poni; quo quidem usu proprio dici potuisse 25, 11, 6 plurimi in fossam praecipitati sunt, 27, 16, 4 in puteum apertum ex equo praecipitatum esse; haec tamen ipsa exempla inter ea statuit, ubi «semper activo» utatur Livius Ea igitur distinctio non satis apta videtur. In id certe tutius comparatio intenditur, utrum quis casu atque imprudenter nulloque suo merito, an voluntate dataque opera aut temeraria agendi ratione praeceps feratur. Utriusque generis exempla activa iam allata sunt; passiva autem, ubi absit consilium et delictum, media esse monstrandum est. 25, 24, 5 alii salire de muro praecipitarique turba paventium («stürzten im Gewühle der Zagenden herab»), 38, 2, 14 multi pavore in derupta praecipitati (Temere id factum est), 36, 30, 4 iumenta multa ex agmine praecipitata cum ipsis oneribus sunt (In loca iniqua casu inciderunt), 22, 6, 5 armaque et viri super alium alii praecipitantur (In fuga calamitosa). Eadem vis verbi passivi media vel intransitiva apud alios scriptores reperitur: Ov. Met. 4, 92 lux, tarde decedere visa, praecipitatur aquis, Fast. 4, 164 Scorpios in virides praecipitatur aquas, Curt. 9, 36, 20 destituta navigia alia praecipitantur in proras, alia in latera procumbunt, Sall. Iug. 14, 23 At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno. Immo cum Livio comparatione facta promiscuus fere usus activi et passivi intransitivi videtur: Curt. 8, 41, 23 Multique, tamquam adesset hostis, per lubrica saxa perque invias cotes praecipitati occiderunt, cf. Liv. 39, 2, 3 per invia et rupes deruptas praecipitantes fugerunt; Iust. 32, 1 Philopoemen in transitu fossae equo praecipitatus a multitudine hostium oppressus est, cf. Liv. 27, 16, 4 creditum — ex equo praesipitasse.

His praemissis, ut, quam late pateat vis media huius verbi, ii loci, quorum scriptura dubia visa est, recognoscantur. 7, 6, 9 *in insidias praecipitaretur* nititur auctoritate praecipue codicum CRDFU omniumque edd. ante Drak., cui per Gron. notum erat M *praecipi-*

taret habere (quod item in P est), quam ob eam causam veram scripturam esse putaverat Dukerus. (Proxime sequitur *legionibusque* in edd. 1. 3. Mog. Iunt. aliisque veteribus, *legionibus* cdd. Ald. Frob. Vasc. cet.). Duobus aliis locis, 21, 25, 9 et 25, 16, 15, eandem locutionem *in insidias praecipitari (praecipitatus)* praebent cdd. Itaque ab cdd. utique praecipitare et praecipitari in insidias aeque fere firma sunt, ac videtur hoc eo magis admitti posse, quod quis ab iis, qui insidias struxerunt, praecipitatus in insidias cogitari potest, ita ut significatio tum pro vere passiva facile accipiatur.

Illo loco, de quo disputare coepimus, *in insidias praecipitatus, multaque cum caede* cet. haec cum Gronovio convenienter adnotavit Crevier: »Vel delenda est particula *que*, quam aliquot editi non agnoscunt« (velut ed. 3. Mog.), »vel legendum *praecipitatur*«. Hanc vero formam passivam Wsb. et Wfl. primi receperunt, alteram cum alii tuentur tum Heerwagen, qui ad *praecipitatus* intelligit *est*, et, quod post id inde ab Aldo servatum est, ex cdd. *multaque* integrum reliquit. Consimile illud 25, 16, 15 *praecipitatus* tenebant edd. ante Gron., qui (ut esse dicitur in aliquot cdd.) *praecipitatur* coniecit, quod praecedentibus tribus participiis vulgo probatum est. Utique forma passiva ad rem aptissima, ubi scribitur *duce hospite* (eodemque proditore) *in insidias praecipitatus;* nam tali duce non forte temere incidit in insidias. Ceterum si *praecipitat* (quod vult Mvg) scriptum fuisset, id utroque loco in *praecipatus* librarios mutaturos fuisse non est credibile.

Etiam *se praecipitare* in insidias uno loco dicitur, ubi de neglegentia ducum adeoque de culpa eorum propria oratio est. Sic enim in cdd. legitur 5, 18, 7: Titinius Genuciusque tribuni militum profecti adversus Faliscos Capenatesque, dum bellum maiore animo gerunt quam consilio, praecipitavere se in insidias. Genucius morte honesta temeritatem luens ante signa inter primores cecidit. Retinebatur id in edd. 1. 3. Mog. Ald. Frob. ceterisque, etiam Vasc. 1552, donec Sigonius hac adnotatione: »Vox *se* abest a veteribus libris« — id quod in optimos minime valet — et uno exemplo allato (6, 30, 4) id effecit, ut omnes editores usque ad Alschefskium (quem in primis edd. secutus est Wsb.) pronomen illud eliminarent. Etiam cum de iis, quae extra consilium noxa aliqua fiunt, quaestio est, *se praecipitare* dici, exemplo est, quod de avaritia Romanorum, quae suam ipsa labem attulerit, habet Sall. Iug. 41, 9 Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit.

26, 6 *ut flumen pro munimento haberent, omnibus ferme suis trans Rhodanum traiectis ulteriorem ripam amnis armis obtinebant* nec absonum esse videtur, in distincta praesertim recitatione vocum quodammodo concinentium, nec, si Livii loquendi morem consideramus, ullum est verbum, quod tollere necesse sit. Cf. 31, 39, 6 Romani ad Osphagum flumen posuerunt castra. Rex haud procul inde et ipse vallo super ripam amnis ducto consedit. Armis obtinere arcem 1, 6, 1, Galliam atque Italiam 30, 19, 3, omnia circa Carthaginem 30, 29, 1, omnia in Hispania 25, 30, 2. *ripam amnis armis obtinebant* CM Iac. Gron. Crev. Bkr. Wsb. Mvg. *ripam amnis obt.* 1. 3. Asc. Mog. Ald. Sob. Frob. Vasc. Grut. Tauchn. *ripam armis obt.* voluerunt Drak., Stroth, Wfl. Contendit Alschefski, in C et in plerisque Drak. codd. *armis* omissum esse. Sed neque in C id desideravi neque Drak. adnotavit id in ullo suo, nedum in plerisque, deesse.

27, 3 *adoriatur ab tergo hostem* iam in primis edd. scribebatur. Tacet Alsch. C habet *hostes*. Carolus Aug. Walberg Upsaliensis ante viginti fere annos in bibliotheca Laurentiana Graecos libros conferens rogatus a me aliquot locis M inspexit retulitque ibi *hoste* scriptum fuisse, sed alia manu virgulam super *e* appositam esse. Itaque ea scriptura minoris fidei est quam Colbertini.

27, 4 *latiore* Bauer. *latiorem* cdd., edd. vett., quod incommodum est ac valde suspectum fit consuetudine codicum ad proximum nomen accommodandi adiectivum a suo nomine longius remotum. Quo latior alveus erat, eo minus altus.

27, 7 *edito* Clericus. *prodito* cdd. edd. vett., quod Gronovio non sanum videbatur, ita ortum esse putant Wsb. et Wfl., ut syllaba *pro* ex *profecti* depravata esset. — Ib. *transisse se* Madvig, *transisse* CM, *se transisse* Rhen. Grut. Gron. Priores edd., ut 1. 3. Mog. Ald. Sob. Gryn., habent *prodito fumo significante transisse*, quod quidem *significante* aut ad praecedentes ablativos accommodatum aut ex *significant se* ortum est. Attamen non minus facile post *transisse* excidit *se*. — Ib. § 8 propter equos *naves* Heerwagen, *nantes* cdd.

28, 2 *clamore vario nautarum militumque* Madvig, *clam. v. nautarum militum* cdd. Apud Caesarem frequens est asyndeton inter duo dumtaxat enuntiata, inprimis in concitata oratione, in explicationibus, in gradatione, vel in rebus oppositis; apud Livium latius patet asyndeton bimembre; nam etiam in plana enumeratione bina substantiva sine copula ponuntur, nonnumquam pariter adiectiva et adverbia, velut 22, 60, 20 haberetis hodie viginti milia armatorum Canusii fortia, fidelia, 22, 22, 19 Illos enim graves, superbos in re-

bus secundis expertos fortuna et timor mitigasse videri poterat, 29, 19, 12 aeque segniter molliter cohortem totam Syracusarum amoenitate frui, 21, 34, 6 undique ex insidiis barbari a fronte ab tergo coorti comminus eminus petunt. His autem locis bina substantiva in cdd. sunt aggregata: 4, 3, 12 Ser. Tullium post hunc.. ingenio, virtute regnum tenuisse, 9, 25, 5 Docent suos . . pro victis Romanos habuisse, iuventute, armis Samnitem iuvisse, 3, 68, 4 ex illis contionibus numquam vestrum quisquam re, fortuna domum auctior rediit, 21, 38, 9 Seduni, Veragri, 27, 9, 2 decimum annum dilectibus, stipendiis se exhaustos esse, 28, 13, 5 progressus omni exercitu civium, sociorum, 32, 3, 5 confectos iam se labore, opere, 37, 25, 6 Philippum, Nabim expugnatos; se tertium peti, 44, 22, 8 In omnibus circulis sunt, qui sciant, quae loca praesidiis occupanda . . ubi horrea ponenda, qua terra, mari subvehantur commeatus. Haec substantivorum exempla, ut in codicibus sunt, sic apud Madvigium invenimus; quae sequuntur, non item: 21, 46, 4 incessu tot hominum, equorum oriens pulvis, 22, 13, 1 irritat etiam de industria ducem, si forte accensum tot indignitatibus, cladibus sociorum detrahere ad aequum certamen possit. 22, 29, 11 vos, milites, eos, quorum vos modo arma, dexterae texerunt, patronos salutabitis, 22, 61, 3 cum magnis fletibus, questibus legatos ad portam prosecuti sunt. His quattuor locis Madvig vel *ac* vel *que* addit, dum ad editiones veteres aut codices recentiores relegat. Probat 10, 4, 2 arma, tela in muros congesta (cf. 30, 11, 4 equos, arma, tela dividit), improbat autem hoc 36, 18, 1 priusquam corpora curarent, arma, tela parant (corrigit *et tela)*. Ad hunc denique locum, e quo egressi sumus, Madvigii haec est adnotatio: »In plerisque eorum exemplorum, quae Weissenborn congerit huiusmodi asyndeti, nulla omnino eius causa excogitari potest, nec hic ulla est orationis concitatae vis«, Ex iis, quae congesserat Wsb., supra allata sunt 4, 3 ingenio, virtute, 3, 68 re, fortuna, 27, 9 dilectibus, stipendiis, 32, 3 labore, opere, 37, 25 Philippum, Nabim; quae asyndeta in Madvigii editione servantur, etsi eorum vix ulla prae ceteris causa singularis excogitari potest. Oratio quidem concitata duobus nominibus verbo communi non facile efficitur. Apud Caesarem saepe, ut supra monui, bina verba eam vim habent, ut b. G. 1, 22 copias in collem subducit, aciem instruit, 3, 4 hostes signo dato decurrere, lapides in vallum coniicere, 5, 31 Consurgitur ex consilio, comprehendunt utrumque et orant, 5, 39 Nostri celeriter ad arma concurrunt, vallum conscendunt, 5, 40 castra oppugnant, fossam complent. Cuius generis multa sunt. Itaque nulla idonea causa allata esse videtur, cur copula addenda his praeter

ceteros locis codicum scriptura corrigeretur: 21, 28, 2 militumque, 21, 46, 4 equorumque, 22, 13, 1 ac cladibus, 22, 22, 19 superbosque (sic etiam Wsb. et Wfl.), 22, 29, 11 ac dexterae, 22, 61, 3 questibusque, 29, 19, 12 molliterque, 36, 18, 1 et tela. Cf. Cic. Fam. 3, 8, 2 nihil habent (prima capita epistolae tuae), quod definitum sit aut certum, nisi me vultu, taciturnitate significasse tibi non esse amicum. Cic. Div. 2, 67, 138 ut, quae numquam vidimus, ea tamen informata habeamus, oppidorum situs, hominum figuras. Caes. b. G. 4, 33 Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in proeliis praestant (essedarii).

28, 5 *variat memoria* E. Mehler coniecit, Mvg, Wfl. *variata memoria* CM rell. Asc. Iun. Gryn. Gron. Drak. Crev. Bkr. Als. Wsb. *variata memoria est* 1. 3. Mog. Ald. Sob. Rhen. Vasc. Tauchn. *varia memoria est* Sig. Grut. Variare ex vulgari vi verbi transitiva est varium facere, efficere, reddere, ut 2, 57, 2 cum timor atque ira in vicem sententias variasset, 10, 29, 7 Haec fortuna variaverat, 25, 1, 6 variabant secundae adversaeque res non fortunam magis quam animos hominum, 23, 5, 8 bellum per centum annos variante fortuna eventum tulimus, 22, 2, 10 verna intemperie variante calores frigoraque, 5, 27, 2 lusu sermonibusque variatis. Sed hoc loco non variam factam esse, sed variam esse dicendum erat. Quo modo dicitur fama, fortuna variat (27, 27, 14. 9, 18, 10), varians multitudo (35, 31, 13), Haec de tanto viro variant (38, 57, 8). Videtur »variata memoria« ex falsa copulatione verborum pendere.

Ib. *sequeretur* coniecit Doering. *nantem sequeretur* CM 1. 2. 3. Mog. Crev. Drak. Als. Wsb. ed. 1. Fabri. *natantem sequ.* Ald. Frob. *inde nantem sequ.* Wsb. ed. 6. *[nantem] sequeretur* Mvg. *sequeretur, nantem* Wfl. *(eum in aquam natantem sequ.* e coniectura Sigonii Grut.). »*nantem* ad glossas, quibus textus Livianus inquinatus fuit, referendum esse, vix dubito«, Doering. »Nemo eodem tempore et refugit in aquam et iam nat, quod tamen ista participiorum sine copula coniunctio significat«, Mvg.

30, 7 *fauces* sive *faucis* Heerwagen, probantibus Madvigio et in ed. 6. Weissenbornio. *paucis* PCM, vel plenius *pervias paucis esse exercitibus* cdd. 1. Asc. Mog., quod variis coniecturis ansam dedit: *per vias paucis esse exercitibus invias* 3. *pervias paucis esse? exercitibus invias?* Ald. Iun. Frob. *pervias paucis esse, exercitibus invias?* Sob. Grut. Gron. Drak. *pervias paucis esse [esse et] exercitibus.* Hz. *pervias paucis esse, pervias exercitibus.* Wsb. ed. 1. Wfl. Mire sane ex eo, quod paucis perviae sint Alpes, easdem pervias exercitibus esse concluderetur, aut quaereretur, paucisne pervia invia es-

sent exercitibus. Quod vix, si in edd. ita scriptum esset, defendi posset.

31, 4 *Isara*, quod flumen intelligi iam Cluverius intellexerat, nuper ab edd. receptum est, ubi constanter tenuerant priores *Arar*, quod exhibent cdd. (apertissime quidem C). Quamquam facile hoc loco nominis facta est mutatio (cuius in M non deest vestigium), tamen fluminum cursus, id quod minime miremur, Livio non satis notos fuisse, exemplo est quod 21, 47, 3 narrat de militibus ab Hannibale in ripa Padi captis, quae ripa Ticini fuerit necesse est. Cf. Polyb. 3, 66.

31, 7 *reiecta* Mog. Ald. mai. Iuv. Sob. Frob. Grut. Gron. Drak. Wsb. Mvg. *delecta* CM (delectasset M). *deiecta* 1. 3. Asc. Ald. min. *delata* Als. Hrw. *delegata* Wfl. Potuit scribi in cdd. delecta tum pro reiecta tum pro delata; sed rem deferre ad alqm vulgo est indicare, nuntiare, narrare, itaque de iis rebus, quae, ut innotescant, significantur, velut 25, 23, 12; 39, 14, 3; 4, 13, 9; 24, 24, 3. Hic autem verbo opus est, quo »arbiter regni factus« declaretur, quod significet de regni certamine Hannibali fuisse iudicandum, sive disceptationem illam eius arbitrio permissam esse; qua de re sollemne est reiicere, ut 2, 22, 5; 2, 27, 5; 3, 36, 6; 5, 22, 1; 5, 36, 10; 40, 29, 12. Quae vis in altero verbo non inest. Non solum delatam ad eum controversiam fratrum, sed ipsum accitum fuisse apparet etiam ex narratione Polybii (3, 49, 9): *ἐπισπωμένου τοῦ πρεσβυτέρου, καὶ παρακαλοῦντος εἰς τὸ συμπρᾶξαι καὶ συμπεριποιῆσαι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν αὐτῷ, ὑπήκουσε.* Itaque *reiecta*, sive fuit in cod. Mogunt. sive coniectura est Carbachii, longe praeferendum est.

32, 2 *progressos* cdd. edd. vett. Als. Wsb. Hrw. *praegressos* coni. Gron., Drak. Mvg. Wfl. Quae coniectura non apta, nedum necessaria est: praegredi enim (vi verbi intransitiva) dicuntur vel qui in agmine primum locum tenent (4, 28, 5. 9, 10, 7. 10, 25, 5. 21, 28, 8), vel qui ad locum aliquem se conferunt antequam alia pars suorum sequatur (5, 39, 2. 27, 12, 2. 29, 34, 9. 35, 30, 3), aut alius aliquis, cui insideant, adveniat (42, 15, 4); ne plura, praegredientes dicuntur utpote ad alios, qui post eunt, pertinentes. Iam vero Hannibalis iter continuatum nullo modo ad Scipionem, qui postea, non exspectatus, ad eum locum, unde castra moverat, advenit, referebatur: hoc tantum narratur, cum Scipio eo, ubi ad ripam Rhodani castra hostium fuerant, pervenisset, Hannibalem iam ab eo loco tridui fere viam processisse. Est autem progredi porro ire relicto aliquo loco.

32, 6 *ab Drüentia* 1. 3. Mog. Ald. Sob. Frob. sqq. *abadruentia* C, in quo litterae tertia et quarta (*ad*) rasae sunt, ut in nonnullis *ab Ruentia* esse fertur; in aliis tamen (M Cant. Lov. 1.) *abadruentia*, quod indicio est vel *ab* vel *a* inventum esse.

32, 7 *qua incerta in maius fere efferri solent* Mvg ed. 1. Sensus hic est: quae parum nota sunt, ita vulgo narrantur, ut maiora videantur. Minus quam reliqui cdd. depravatus videtur C, ubi sic scripsit ipse librarius: *quamquam famā prius quam (?) incerta inmanis uero ferri solent p̃cepta res erat. (quam* propter rasuram non satis certum. *quā* M*)*. Equidem in exemplo Weissenborniano *solent* legens nihil adnotavi: fortasse rectius Als. *solet.* Etiam ex M et Lov. 1. refertur *inmanis uero ferri solet.* (Similiter 28, 31, 4 *inmanis* pro *in maius* cdd. nonnulli.) *quae quidem incerta in maius uero ferri solet* 1. Dui. (ed. 1. semper *que* pro *quae*). Idem coniecit Gron., non improbavit Fabri. *qua quidem incerta in maius vero ferri solent* 3. Mog. Ald. Sob. Frob. Vasc. Grut. Cler. Rudd. Ern. Giov. Tauchn. *qua incerta in maius vero ferri solent* Gron. Drak. Als. Wsb. Wfl. Mvg ed. 3. (Totum enuntiatum ed. Mog. secuti plerique in parenthesi posuerunt). Tacite Madvig coniecturam suam deseruit delevitque in nova ed. Emendationum, quae in priore p. 217 disseruerat: «Neque *in maius vero* usitate dicitur addito ablativo neque *ferri in maius.* Usitatum et rectum erit: qua incerta in maius *fere ecferri* solent». Id modo mihi minus placet quod «ecferri» scripsit; nam si genere sermonis usitato primitus fuit *fere efferri*, plane eodem modo, quo ex mea sententia 1, 43, 3 (vid. Epileg. ad lib. I. p. 61) *bello offerrent* in *bello ferrent* abiit, hoc loco *fere efferri* in *fere ferri* vertit; deinde *maius fere*, vel fortasse *uere* scriptum (nam hae quoque labiales inter se mutabantur, ut supra 30, 7 *paucis* pro *faucis)*, facile in *maius uero* mutatum est. In maius efferre unius instar verbi est (vi amplificandi), ideoque ablativum comparationis respuit, ut omnia, quae illius generis sunt: in maius extollere 28, 31, 4 (Iust. 2, 13, 1. Plin. Ep. 3, 11, 1. attollere Tac. Ann. 15, 30, 1), in maius celebrare 4, 34, 7 (Sall. Iug. 73, 5. Tac. Ann. 13, 8, 1. ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμεῖν Thucyd. 1, 21), in maius accipere 4, 1, 5. 29, 3, 9. in maius audire Sall. Hist. fr. 2, 70, Tac. Ann. 4, 23. in maius componere Sall. Hist. 3, 60. in maius credere Tac. Ann. 3, 44, 1, Hist. 1, 18. in maius innotescere Tac. Hist. 4, 50. (Accedunt alia exempla: in deterius augere Tac. Ann. 2, 82. in deterius mutari ib. 14, 43, in deterius referre ib. 13, 14, in mollius referre ib. 14, 39. in melius referre Virg. Aen. 1, 281. 11, 426). Nusquam in illa locutione ablativus additur, ut in aliis, velut 25,

24, 9 tumultum augere eos dictitans et maiora ac terribiliora vero afferre. *fere solent* non magis offendit quam, quod proximum est, *prius praecepta* (falso antiquitus scribebatur *percepta*, quod ultimum vidi apud Grut.) atque alia huiusmodi apud Livium frequentissima. Cf. Cic. Pomp. 9, 24 Iam hoc fere sic fieri solere accepimus, Liv. 6, 36, 8 ut ferme solent (»Fere et ferme magis forma quam significatu inter se differunt«, O. Schulz). Woelfflin, qui *ferri* servat, efferendi vim huic verbo tribuit.

32, 7 *torrida*. Ut Graeci tum *τὸ καιόμενον πῦρ* dicunt tum *ἡ χιὼν καίει*, sic Latini, ut e Livio exempla petam, et hasta praeusta (1, 32, 12) et praeusti artus (21, 40, 9. praeusta nive membra Plin. n. h. 3, 20, 134), et torrida incendio rupes (21, 37, 3) et membra torrida gelu (21, 40, 9). Wfl. substituit *torpida*, quo adiectivo Livius aliter utitur: torpidus somno 7, 36, 3 et 25, 38, 17, stupore ac miraculo 22, 53, 6. Torpentes gelu homines (21, 56, 7) eodem sensu dicuntur, quo 21, 55, 8 corpora rigentia gelu torpebant.

32, 12 *degressos* Grut. Gron. Drak. Mvg. *digressos* cdd. 1. 3. Mog. Ald. Frob. Als. Wsb. Wfl. Et descendisse et discessisse montani dici poterant, et si digressi erant, id degrediendo factum est. Degredi cum ablativo iam apud Sallustium reperitur (Iug. 49, 4. 50, 1), saepius apud Livium et Tacitum; digredi cum ablativo coniungere poetarum moris est. Accedit quod *de* in *di* saepe mutatur, ut c. 38, 5 *digresso* cdd., ubi *degresso* scribi oportuit; c. 33, 4 *discurrunt* pro *decurrunt* scriptum fuit.

33, 4 *transversis rupibus per iuxta invia ac devia* Mvg ed. 1. *perversis rupibus iuxta invia ac devia* CM rell. 1. 3. Mog. Ald. Grut. Drak. Als. Wsb. ed. 1. *diversis rupibus iuxta in invia ac devia* Wfl. Wsb. ed. 6. *per diversis rupibus iuxta invia ac devia* Mvg. ed. 3. Ad scripturam codicum explicandam multa coniecerunt interpretes, quae rata haberi non posse iam ab omnibus fere concessum videtur. Tolerari nequit *perversis*. Neque tamen *per* hic inculcari facile potuit nisi a loco vicino, ut fit, transpositione facta, qua simul aliam praepositionem, quae ei verbo praefixa fuerit, extrusam esse suspicandum est, reponendumque vel *transversis* vel *diversis*. Cum vero rursus in iis, quae sequuntur, amissa sit praepositio, quae cum accusativo iuncta fuit, suspicari licet illud ipsum *per* inde aberrasse. Quo retracto scribendum aut *per iuxta invia ac devia adsueti decurrunt* aut *iuxta per invia* cet. Cf. 5, 6, 5 se iuxta hieme atque aestate bella gerere posse, 3, 33, 10 in re iuxta manifesta atque atroci. Durius est, quod in ed. 3. dat Madvig, *per diversis rupibus iuxta invia ac devia* cet., quod sic interpretatur: »per loca ob rupes di-

versas non minus invia quam devia decurrisse»; quem quidem contortum vocat ordinem verborum, sed Livianum et a quo ne alii quidem scriptores abstinuerint. Id ut doceat, ad Adv. Crit. II, 514 legentes remittit, ubi ablativi inter praepositionem et accusativum interpositi exempla affert Liv. 36, 23, 6 adversus quattuor e partibus simul oppugnantem hostem, Sen. de Clem. 1, 18, 3 Quanto non nasci melius fuit quam numerari inter publico malo natos? Quemadmodum adversus undique oppugnantem, etiam »adversus quattuor e partibus oppugnantem» dicere poterat Livius, ac Seneca, ut inter male (in miseriam, vel simile) natos, sic etiam »inter publico malo natos». Sic igitur utroque loco ablativus positus est, ut quasi adverbii partes agat. Dissonat illud *per diversis rupibus invia*, quo dicatur »per ob rupes diversas invia»: adeo ablativum enuntiati causalis vice fungi; quamqum mire dicitur, quia rupes diversae sint, invia loca esse.

Neque magis allicit, quod alii, exclusa prorsus praepositione *per*, scribunt: *in* invia ac devia decurrunt, quasi ad talia loca praeter cetera tendant cursum. Denique pro *decurrunt*, quod est in cdd., inde a prima Aldina usque ad alteram Crevierii *discurrunt* legebatur.

33, 5 *prius* cdd. edd. *primus* Mvg ed. 3. auctorem laudans Ungerum, cuius haec est argumentatio (Philologus XXXV. p. 567): »Da es viele tausende waren, von welchen jeder zuerst der gefahr entrinnen wollte, so ist der superlativ, und weil es sich um die priorität der subjecte, nicht die von prädicaten, handelt, das adjectiv nothwendig; aus *primus* ist durch weglassung des striches über dem ersten vocal *prius* geworden». Singuli milites non cum toto simul exercitu aemulantes cogitantur, sed quicumque cursu pedum praeverterat, cum eo de priore loco proximus certabat. Adverbium etiam de eo usurpatur, qui prior aliquid facit: 31, 3, 6 ne auderet Philippus, quod Pyrrhus prius ausus esset. Qui antiquos libros manu scriptos legerunt, sciunt non in qualibet syllaba litteram m virgula denotari.

35, 12 *adfixi* coniecit Drak., qui affert 3, 68, 7 Haerete adfixi contionibus et in foro vivite. Probat Mvg. *adflictis* CM. *afflictis* 1. 3. Ald. min. *afflicti* (adfl.) Mog. Ald. mai. Sob. sqq. Wsb. Hz. Wfl. Hoc narratur: a lapsu se sustinere non poterant, idque iam tum, si vel paulum titubaverant; si modo titubare coeperant, certis denuo insistere pedibus nequibant. Non dicitur, aut dici facile potuit, adflictos, sive eos, qui in terram prostrati essent, perstare in eodem vestigio nequivisse, aut titubantes eosdem adflictos fuisse, sed hoc tantum, semel vacillantes firmiter haerere frustra conatos esse; adeo

posteriore membro (*nec qui paulum* cet.) eundi difficultas etiam maior depingitur quam priore (*neque* omnino *sustinere* cet.) Alia eiusdem commutationis exempla vid. ap. Drak.

Ib. *occiderent* cdd. l. 3. Mog. Ald. Frob. sqq. Cf. 23, 24, 7 arbores ita inciderunt, ut immotae starent, momento levi impulsae occiderent. Caes. b. G. 5, 44 dum cupidius instat, in locum deiectus inferiorem occidit (Ex primae classis uno, qui in hac parte libri mansit, codice). Madvig sibi finxit *in homines succiderent*, neque id melius dici, quam *occiderent*, ullo exemplo probavit. Altero autem loco Liviano nuper laudato *acciderent* ex Duiatio sumpsit, addit tamen hoc: »Possis etiam *succiderent* suspicari», ad Em. 268 revocans, ubi docuit post vocabula in s exeuntia *sub* pro *ob* scribi, quod in eum locum non valet. Ceterum Liv. 21, 35, 6 *occidente sidere Vergiliarum* eodem modo dicitur, quo *sol praecipitans* Cic. de or. 3, 55, *hiems praecipitaverat* Caes. b. c. 3, 25, similia. — Ib. *et iumenta in homines* CM rell. Wsb. Hz. Hrw. Mvg. Wfl. *et iumenta et homines* l. 3. Ald. sqq., in quibus tacentes Drak. et Alsch., etsi aliter esse in cdd. noverant. At iam omnes Weissenbornium sequuntur. Adeo non solum homines super homines, sed etiam iumenta super homines occidisse impedimentoque fuisse, quominus sese attollerent. De promiscua, nisi fallor, hominum et iumentorum ruina haec dicta sunt a Polybio: *πᾶν τὸ παραπεσὸν τῆς ὁδοῦ καὶ σφαλὲν ἐφέρετο κατὰ τῶν κρημνῶν*. De iumentis et hominibus coniunctim corruentibus »alia super alia» non dicebatur. Cf. 22, 6, 5 armaque et viri super alium alii praecipitantur.

36, 5 *insuperabilis* vid. ad c. 23, 4. — § 7 *lubrica glacie* Mvg. Wfl. *ut a lubrica glacie* CM edd. usque ad Bekkerum, qui sic interpretatur: »prout lubrica glacies secum ferebat». *via lubrica glacie* e coniectura H. Sauppii Wsb. Hz. Contra quod Madvig: »Nulla» inquit, »in Alpium cacuminibus et iugis via erat». At quacumque quis iter facit, via eius latiore sensu appellatur. Itaque hoc ipso loco insuperabilis *via* dicitur. Cf. Caes. b. G. 1, 6 et 9 Erant omnino itinera duo . . unum per Sequanos . . alterum per provinciam nostram . . Relinquebatur una per Sequanos via. Quia vero praepositio *a* (ab) ad res externas, quibus quid efficitur, indicandas minus idonea est (potius »ut in lubrica glacie» dicendum erat), codicum utique scripturam relinquere necesse erit. — *pedes fallente* e coniectura Drakenborchii Bkr. Wsb. Mvg. *pede se fallente* CM edd. priores.

36, 8 *secabant* C Grut. 1628 (e coniectura Turnebi). Gron. *secabantur* l. 3. Mog. Ald. Cur. *necabantur* e cod. Sigonii edd. Francof. Grut. 1659. — *interdum etiam infimam* Hrw. Mvg. *interdum*

etiam tamen infimam C Tauchn. *int. etiam. Tam infirmam* l. 3. *int. etiam tam infirmam* Ald. min. *interdum, etiam tum infirmam* Mog. Ald. mai. Frob. Grut. 1659. *interdum, etiam tum infimam* Grut. 1628. Gron. *int. etiam, tum infimam* Drak. *int. etiam tum infimam* Bkr. Qui »etiam tum infirmam ingredientia nivem« scriptum voluerunt, de nova illa mollique nive cogitasse satis apertum est: *ταύτην μὲν εὐδιάκοπτον εἶναι συνέβαινε ἀνδράσι τε και ὑποζυγίοις:* cum qua confuderunt veterem nivem *διαμεμενηκυῖαν ἐκ τοῦ πρότερον χειμῶνος, τὴν ὑποκάτω καὶ συνεστηκυῖαν, ἣν διέκοπτεν, ὅτε πέσοι, τὰ ὑποζύγια, οἱ δὲ ἄνδρες διακόπτειν οὐκ ἐδύναντο.* Comparatus ad descriptionem Polybii hic locus apertissimus est: falso *iumenta* ad praecedentia ab editoribus tractum esse primus intellexit Gronovius, qui haec annotavit: »Adhuc de hominibus: nunc etiam aliquid proprium de iumentis«. Quae nondum obduruerat recens nix vestigia recepit et hominum et iumentorum; subiecta huic e prioribus annis gelu concreta vestigiis non cedebat nisi iumentorum.

37, 5 *apricosque quosdam* Wsb. Mvg. ed. 1. *apricos quosdam* M l. 3. Mog. Ald. Sob. Frob. Grut. *et apricos quosdam* Gron. Drak. Fabri. *apricosque* Wfl. *apricosque etiam* Mvg. ed. 3., ubi *que* litteris cursivis, quae dicuntur, ut coniectura signatur, *etiam* non item. (Quid C in rasura habeat, pro certo discernere nequivi). De hac satis aperta depravatione opinio mea paululum differt a reliquis. Si enim scripsit Livius *apricosque iam colles*, confusione quadam post apricos facile *quos* pro *que* exstitit, deinde *quos iam* vel *quosiam* in *quosdam* conformatum est. Saepius quidem in transitu ad meliorem statum describendo *iam* usu venit: supra 35, 1 iam segnius intercursantibus barbaris, 35, 2 montani pauciores iam concursabant, 35, 10 iam nihil ne hostibus quidem temptantibus, 37, 5 iam humano cultu digniora loca, 37, 6 iam et locis mollioribus et accolarum ingeniis. Triplex in utroque capite *iam* notatu dignum, et frequentior in propinquo repetitio eiusdem vocabuli ab oratione Livii minime aliena est. Vide supra ad c. 19, 9 Saguntinos.

Ib. *et prope* Madvig. *prope* cdd. edd., quod quidem ita intelligendum est, rivos inventos esse simulac silvis adpropinquassent. Nec necesse esse videtur *et* addere, ut hoc scilicet dicatur, virgulta fuisse, quae silvarum nomine digna non essent.

38, 3 *me auctor moveret* Mvg. (allegans Drak.). *auctor moveret* CM Wsb. Wfl. *auctor moveret me* l. 3. Mog. Ald. Frob. Grut. *auctor me moveret* Gron. Drak. Bkr. Ex vulgari omittendi consuetudine *me* post *maxime*, praeeunte simili syllaba, excidit.

38, 5 *Taurini semigalli* Madvig, Wfl. *taurinis* |||| *gallie* C. *taurinis ne galli* M. *taurinis quae galliae* cod. Cantabrigiensis. *in Taurinis, quae Gallis* (nempe *amisisse in T.* cet.) 1. 3. Mog. Ald. Sob. Frob. Grut. Gron. Drak. *e Taurinis, quae Galliae* Als. Wsb. ed. 1. *Taurini Galliae* Wsb. ed. 6.

Finita narratione de transitu Alpium et de minuto numero copiarum, ut bellum, quod inter Taurinos et Insubres erat, ordiretur, Livius vix illam gentem nominaverat, cum in hanc quaestionem, quanam Alpes transierit Hannibal, incidit. Post quem digressum ad eandem rem commemorandam ab his verbis exorsus revertitur: Peropportune ad principia rerum Taurinis, proximae genti cet. Licet suspicari iam ab initio ad hunc modum scripturum fuisse: Taurinis, quae Galliae proxima gens erat in Italiam degresso, adversus Insubres motum bellum erat. Ad hanc vero continuationem verborum quod proprie pertinebat initium consilio mutato non plene commutatum est: itaque, ut aequaliter fluat oratio, deletis inutilibus litteris ad exemplum Weissenbornii sic hunc locum reddere e re erit: *Taurini Galliae proxima gens erat in Italiam degresso* (i. e. in ea regione, ubi Hannibal in Italiam degressus erat. Fuerunt enim in aliis regionibus alii populi Galliae pariter finitimi), nisi malis interruptam inperfectamque orationem relinquere; cuius quidem anacoluthiae apud Livium, si quid continuationi sermonis medium interposuit, non desunt exempla. 22, 18, 8 sqq. (dictator) agens cum magistro equitum, ut (sequuntur sex versus) — haec nequicquam praemonito magistro equitum Romam est profectus. 38, 55, 2—4 Ad hunc praetorem cet.

Ex eo, quod de M notatur, *taurinis ne galli*, atque ex Lov. 1. et 3. *taurinis ne gallis*, posuit Madvig codicum scripturam *snegalli*, in qua latere putat novum illud *Semigalli*. Tamen ex cod. Cant. non *ne*, sed *quae* refertur, quod etiam in C fuisse suspicor, utique in iis cdd., quibus nititur longa series editionum. Etiam si mixta Gallis fuerit Taurinorum gens, id Livium statim indicare nihil attinebat. Negat Lipsius Taurinos Gallos fuisse monens a Strabone *Λιγυστικὸν ἔθνος* appellari, »Ligurum nationem, quod ad originem fortasse verius referas, et situ tamen Galli erant.« Qui Galliam transpadanam incolebant, cuiuscumque gentis erant, Galli quodammodo vocari poterant, non Semigalli. Ob originem quae circa Poeninum erant gentes paulo post semigermani a Livio vocantur, non ob sedes. Neque cum reliquis Gallis transpadanis (*τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν τὰ πεδία κατοικούντων Κελτῶν*) faciebant Taurini *στασιάζοντες μὲν πρὸς τοὺς Ἴσομβρας, ἀπιστοῦντες δὲ τοῖς Καρχηδονίοις.* Pol. 3, 60. Insubres autem vere Galli fuerunt.

38, 7 *Coelium* (non Caelium) recte scribi monuit Lachmann De font. hist. T. Livii I. p. 31 n. 3. In P lacuna est, C *collium* habet, Reliquis autem locis, qui undecim sunt, in P noviens est *coelius*, singulis vicibus *caelius* et *caecilius* (29, 35, 2. 29, 27, 14). — Ib. *alios* Mvg. ed. 1. *saltos* 1. *saltus* C 3. Mog. Ald. Iun. Sob. Frob. *Salassos* e coniectura Lipsii Grut. Gron. iam fere omnes. — *deduxissent* 1. 3. Mog. Ald. *deduxerint* M. *siduxerint* C.

38, 9 *Seduni et Veragri incolae* in coniecturis Gronovii. *sed uno vel acri incolae* CM. *sed uno vel acri incola* 1. 2. 3. 4. Ald. Iun. Sob. *seu ab uno vel acri incola* Mog. *Veragri, incolae* Gryn. Rhen. Grut. Gron. Drak. *Seduni Veragri incolae* Als. Wsb. Mvg. Reliquae coniecturae Gronovii hae sunt: *Sedunoveragri* et *Seduni Veragri:* »potuerunt enim mixtae in unum gentes nomen quoque miscuisse, ut Celtiberi, Tauroscythae«. Caes. b. G. 3, 1 Galbam cum legione . . in Nantuates, Veragros Sedunosque misit, qui ab finibus Allobrogum . . ad summas Alpes pertinent. Enumerantur a Plinio 3, 137 Gentes Alpinae devictae: Triumpilini .... Nantuates, Seduni, Varagri, Salassi cet. In cdd. *uno* (pro *uni*) accommodatione scriptum est, ubi in falsa scriptura sequitur *acri*, praecedit *nullo* (pro *ullo*), etiam in edd. ante Mog. Quod exstat *vel*, ita genuinum esse potest, si fuerit *seduni uel ueragri* atque altera syllaba consimilis exciderit. Si vero coniunctione opus sit, potius *vel* quam *et* scribendum esse probabile fit perspecta totius loci sententia, quae haec est: Et si quem forte id movet, montibus his ab transitu Poenorum nomen inditum, incolae iugi eius, ut Seduni vel Veragri, hercule non norint ab transitu Poenorum ullo nomen iis inditum esse, sed ab eo Poenino, quem appellant montani, qui in summo vertice sacratus est, nomen norint inditum. Non de notitia Sedunorum et Veragrorum certo explorata mentio fit, sed hoc per ironiam dicitur: Si ex incolis iugi eius, velut Sedunis vel Veragris, de origine nominis quaesieris, hercule non dixerint ab transitu Poenorum ullo inditum: Poeninum suum hi habent, Poenos ne fando quidem audierint. Vulgo credi Poenino Hannibalem transgressum taedet Livium, qui commotius declarat nullam facile Alpinam gentem in eam opinionem incidisse. Inest interdum vel praeterito tempori vel praesenti significatio fastidii atque acerbitatis, neque id solum ubi subiungitur enuntiatio condicionalis, ut 23, 42, 12 Nec te nec exercitum tuum norim, nisi cet., 6, 40, 3 Neque novum neque inopinatum mihi sit, si cet., sed etiam cum absolute ponitur: 21, 47, 5 ea peritis amnis eius vix fidem fecerint, 22, 60, 20 nam fortes ne ipsi quidem dixerint, 32, 32, 16 neque enim aeque difficulter Aetoli praetorem alium ac Macedones

regem in meum locum substituant, 35, 16, 4 Nihil aliud profecto dicatis, quam armis superatis vos iis has leges imposuisse, 23, 12, 10 Respondeam Himilconi, non desisse poenitere me belli. Quo quidem loco evanescit festiva ironia, si cum Madvigio mutatione facta scribitur Respondeo. Pepercit ille simili loco 21, 18, 6 Ego autem non, privato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit, quaerendum censeam. At de loco illo 40, 35, 13 Dictu quam re facilius sit provinciam ingenio ferocem, rebellatricem confecisse, in Emend. Liv. p. 575 haec notavit: »Sed ne in hac quidem aperta asseveratione locum habet coniunctivus dubitandique significatio, scribendumque est: Dictu quam re facilius *est* cet.» Nec asseveratio hic est nec dubitatio, sed multo magis modesta reprehensio. Id autem L. Minucio obiicit Ti. Sempronius, quod confectam provinciam nuntiasset, cum ipse audiret paucas civitates in dicionem Romanorum venisse, ulteriores in armis esse.

Coniunctivum *norint* servant CM et plerique alii cdd.; nihilo minus *norunt* edd. omnes retinuerunt usque ad Alsch., a quo restitutum *norint* tuentur Wsb. et Wfl. Habent vero cdd. *incolae iugi eius norint inditum,* pauci recentissimi *nomen* servant, et quidem post *norint* locatum. Eundem ordinem, *norunt nomen inditum,* cum omnes edd. retinentes viderem, in adnotatione ad priorem editionem (Upsaliae 1871 p. 53) exemplis allatis docui vocabulum *nomen,* quod deesse nemo non intelligeret, necessario post *eius* omissum esse, quod probans Weissenborn in ed. 6. verbum transposuit. Etiam Madvig, qui in priore ed. *norunt nomen* scripserat, in altera *nomen* priore loco ponit, sed verbum aliud, *ferunt,* substituit; quod si ab initio fuisset, *nomen* certe non omissum esset, quippe nulla praetermittendi causa oblata; discrepantiam autem exemplaris Weissenborniani ed. 6. sic refert: »*nomen* norint inditum *e cod. Lov. 3.*» Cur Weisssenborn *nomen* reciperet, nec indicavit, nec id ei magis quam Madvigio aliisve editoribus indicare opus erat; indicavit, cur id priore loco poneret, qua in re eo minus Lov. 3. (quem non attulit) sequi potuit, quod in hoc est »norint nomen inditum»; coniunctivus denique optimis cdd. CM nititur. Livius, inquit Madvig (Emend. p. 271), non ex sua coniectura argumentatur, sed ex fama apud illos populos certo obtinente. Ea quidem quaestione, unde Poeninus mons dictus aut non dictus putandus esset, non verisimile est illos populos magnopere se occupavisse, aut de hac re fuisse apud eos »famam certo obtinentem». Alium quendam, quam qui ad coniecturas pertineret, illius coniunctivi usum esse, iam monui.

39, 2 *tabeque* iis exemplis apud Livium insolitis addidit O. Riemann (Revue de philologie, 1880 p. 185), quae in iisdem annalibus (p. 27 sqq.) enumeraverat Al. Harant «Des particules enclitiques que, ve, ne placées après un e bref»; cui incommodo ut medeatur, hanc scripturam (prope eandem, quam olim Wsb.) commendat: «otium erat enim ex labore... cultus ex inluvie et tabe: quae squalida et prope efferata corpora varie movebant». Bene monet, eo loco *et* (nimirum inter e et t positum) facile elisum esse; addere poterat, postquam id factum esset, ad vicem particulae illius omissae implendam tabeque scribi potuisse, ut paulo infra, cum post *expugnarat* vel *ac* vel *et* excidisset, vulgo scriberetur *iunxissetque*, et 21, 46, 4 *equorumque*, ubi fuisse videtur *et equorum*, atque ob eam causam *que* prorsus sublato *et* esse restituendum; qua sola facilique mutatione omnis molestia tollitur; nam quod exstat in cdd. *otium erat enim*, id ita depravatum est, ut post *poterat* repetitione facta adderetur *erat*. Contendit Harant, exceptis formulis nonnullis et depravationibus correctorum, particulas illas encliticas post e breve apud Livium nusquam inveniri; nam etiam 8, 9, 7 *formidine morteque afficiatis* «est une vieille formule religieuse, que prononce Décius en se dévouant, et dont les pontifices seuls sont responsables». Madvigio autem vitio vertit, quod 38, 48, 4 *mareque*, 44, 26, 4 *abire nuntiareque* coniectura substituit.

39, 4 *volentes... veniebant* e coniectura Gronovii Crev. Stroth, Bkr, Fab. Wsb. Mvg. *volentis ... veniebat* CM 1. 2. 3. 5. 6. 8. Ald. min. Als. *volens... veniebat* Mog. Ald. mai. Iun. Sob. Frob. Grut. Wfl. Facile *volentis* pro *volentes* scriptum est, non pro *volens. veniebat* ad *expugnarat* tractum. Est illa constructio ad sensum (qua etiam de urbibus, utpote hominum multitudine, pluralis in usu est) apud Livium usitatissima: 21, 7, 2. 22, 4, 2. 24, 22, 6. 24, 24, 9. 25, 34, 11.

39, 5 *et iunxisset* e coniectura Alschefskii Wsb. ed 1. Mvg. *ac iunxisset* e coniectura Woelfflinii Wsb. ed. 6. *iunxisset* CM 1. 3. Mog. *iunxissetque* Ald. Sob. Frob. Grut. Gron. Crev. Drak. Bkr. Post *expugnarat* facilius *ac* excidit.

39, 6 *praesentem*, vel Hannibalem vel Scipionem. Hunc subito adventu Gallos accolas Padi oppressisse Hannibali nondum innotuisse videtur. Itaque, quod in optimis cdd. deest, *se* post *praesentem* omnes ante Alsch. edd. ex cdd. recentioribus sine iusta causa addiderunt. Neque necesse est, quod § 8 Madvigio (Emend. p. 271 n. 1) uno verbo transposito scribendum videtur, «Nam et Hannibalis apud Romanos» cet., quod magis placeret, si sequeretur «et Sci-

pionem Carthaginienses» cet. Iam vero dux quidem Carthaginiensium Scipionem praestantem virum credebat, Hannibalis autem et apud omnes Romanos celeberrimum nomen erat.

40, 7 *plures* Ph. Rubenius. *plures paene* CM edd. «Duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis» non recte dicuntur plures p a e n e periisse, quam superfuerint; quamobrem iam veteres iudices critici adverbium illud ablegare aut mutare voluerunt, alii totum illud interpositum *quia* (*qui* cdd. edd. vett.) *plures — supersint* suspectum habent. In quibus Gronovius, «Habuerim pro panno», inquit, «huic purpurae ad marginem adsuto primum, et deinde collocato in textum. Scriptum erat ad oram: Quod plures Poeni perierint quam supersint».

40, 10 *hostium* M (teste Walbergio) l. 3. Mog. Ald. sqq. *hostis* C. — Ib. *non hostem habetis* CM (nam, quod refert Alsch., *habebitis* C falsum esse assevero). *non hostes habebitis* l. 3. Mog. Ald. Sob. Frob. Grut. Gron. Drak. *non hostem habebitis* Als., Wsb. ed. 1. Mvg ed. 1. (qui indicium meum afferens P scripsit, ubi C scriptum oportuit).

Ib. *vereor quam ne, vos cum pugnaveritis* Drak. ex cdd. Lov. 3. et Gaertn. *uereor nec umquà uos cum pugn.* CM. *uereor ne cum quam ne vos cum pugn.* cod. Cant. Ex hac potissimum scriptura, ut recte iudicat Heerwagen, satis explicatur error in ceteris ortus. Nam primum *uereor ne cum* transpositione coniunctionum scriptum est, deinde nihilominus utraque suo loco recurrebat; delendae igitur loco alieno. Quod sero et post varios errores intellectum est. *vereor, ne antequam vos cum hoste pugn* l. 3. Mog. Ald. Sob. Frob. *vereor, quam ne antequam vos cum hoste pugn.* codex Sigonii, Grut. Gron. Crev. Giov. Madvigii coniectura haec est: (Emend. p. 271) «Ex *necumquam*, transposito, ut omnes faciunt, *quam*, fit *quam ne, cum*. Hoc corrupto superadditum est alterum *cum*». Itaque illius opinione, ut *nec* post *ne* effingi posset, c u m his ipsis tribus litteris scriptum fuit (non q u u m, ut Madvigii fert scribendi consuetudo). Ea vero transpositione («ne, quum vos pugnaveritis, Alpes vicisse») minus distincte inter se opponuntur qui pugnavisse dicuntur quique vicisse videantur. Nec, si id probaretur, ulla causa fuisset, cur alterum *cum* adderetur.

41, 4 *regressus ad naves* Sigonius e «veteribus libris», Gron. Cler. Crev. Drak. Mvg, Wfl. *neque regressus ad naves erat* CM (in quibus *nauis*) et ceteri plerique cdd., l. 3. Mog. Ald. Iun. Sob. Frob. Vasc. edd. Francof. Grut. (*egressus* Grut.). Weissenborn codicum scripturam fideliter exponit reservata lacuna, ac manifestum

esse videtur, si ab initio solum illud «regressus ad naves» scriptum esset, non futurum fuisse, ut istud accederet additamentum per se valde absurdum. Caute lacunam monstravit Wsb., atque ita illud damnum sarciri posse arbitror, si verba ad sententiam huius loci apta inveniantur ab eo incipientia, unde ad id, quod mansit, facile aberraverit oculus describentis. Itaque in hunc fere modum compensandum videtur: *quia adsequi terra non poteram, neque egresso longius tutus regressus ad naves erat.* Ex vulgari quidem consuetudine transitione ad sequens verbum consimile citius facta scribi debebat *egressus ad naves*, ut re vera est apud Grut. ac fortasse ab initio fuit in cdd. Verba eadem aut similia parvo intervallo repetita Livio sunt familiaria.

Ib. *quanta maxime potui celeritate* CM Als. Wsb. Fab. Mvg ed. 1. Wfl. *quanta maxime cel. potui* 1. 3. Mog. Ald. Iun. Sob. Frob. Grut. *quanta maxima cel. potui* Gron. Drak. *quanta maxima potui cel.* Mvg ed. 3. Conferenda haec sunt: 9, 10, 10 quanta maxime poterat vi perculit, 9, 24, 9 decurrit inde quanto maxime poterat cum tumultu, 10, 40, 8 Nautium mulos iubet quanto maxime posset moto pulvere ostendere, 24, 35, 5 (cod. P) perpulerat, ut quantae maxime possent copiae traiicerentur; 36, 44, 4 («codd. omnes et edd. primae») quanta maxime celeritate potest concitat naves. Frequentior tamen est in hac locutione usus adiectivi: 10, 29, 9 quanto maximo possent impetu incurrerent, 23, 16, 12 quanto maximo possent impetu in hostem erumpere iubet, 27, 49, 1 scalprum quanto maximo poterat ictu adigebat, 28, 1, 6 quantis maximis potuit itineribus praegressus, 28, 8, 2 eo quanta maxima posset celeritate tenderet, 28, 36, 1 conducta Gallorum quanta maxima posset iuventute, 37, 59, 1 diis quantus maximus poterat habitus est honor, 42, 7, 6 in hostes quanto maximo possent tumultu incurrant, 44, 27, 12 quanta maxima posset praeda Romanis reservaretur; 10, 39, 9 quanta maxima vi posset oppugnare, 10, 41, 8 quanta maxima vi possent concitarent equites in hostem, 22, 3, 6 quantam maximam vastitatem potest ostendit, 27, 41, 9 equites quanto maximo impetu possit in hostem emittat, 27, 43, 12 consul quantis maximis itineribus poterat ad collegam ducebat, 30, 25, 8 Concitatam remis navem quanto maximo impetu poterant in terram immiserant, 42, 15, 1 quanta maxima celeritate poterat regressus. Usque eo superlativum et adverbii et adiectivi proxime saepius sequitur verbum quam substantivum. Licet suspicari nonnumquam, ut hoc loco, in quo versamur, factum est in quibusdam edd., accommodatione ad substantivum sequens adverbium in adiectivum

mutatum esse; qualis illecebra in contrariam partem non aderat: quamobrem, ut exemplum adferam, Curt. 4, 34, 10 per se firmius stat codicum optimorum atque editionum veterum scriptura *quanta maxime celeritate potuit* quam quod emendant *quanta maxima cel. potuit.* Vix verba Q. Claudii Quadrigarii («cum voce maxima conclamat»), quae refert Gellius 9, 13, sufficiunt ad suspicionem ab hoc dicto Liviano removendam 7, 9, 8 Gallus processit et quantum maxima voce potuit, Quem nunc, inquit cet. Utique iis locis, ubi adverbium *maxime* servant cdd., id corrigere conari eo magis temerarium est, quod illam dicendi rationem recte cogitato niti nemo quidem infitiabitur. Quod ad locum Curtii nuper laudatum adnotavit Zumpt: «Ad id quod est *quantus* non convenit nisi adiectivum cum posse», quinque adverbii exemplis Livianis supra allatis refellitur, commodumque magis quam providum fuerit responsum: «dudum erant corrigenda».

41, 5 *improvidus* coniectura Woelfflinii, quam recepit Mvg. *improvisus* cdd. edd. Cf. 10, 32, 8 Improviso oppressis nec animi satis ad resistendum nec virium fuit, i. e. oppressis Romanis nihil providentibus. Itaque qui nihil providens opprimitur, si improviso opprimi dicitur, etiam improvisus opprimi dici potest, a Livio praesertim, qui in eiusmodi re libenter adiectivis pro adverbiis utitur. E sua igitur consuetudine eo, qui adest, loco tum improvisus eodem sensu activo scribere ei licebat, quare non magis adiectivi quam adverbii usus vituperandus est.

Ib. *lacessere ac trahere* M edd. Haec refert Alsch.: »C: lacessere retrahere». Ea vero est ibi mutatio facta m. 2., nam prima scriptura fuit *lacesserat retrahere,* ita ut satis apertum sit *lacessere ac* in *lacesserat* abiisse, perstare *retrahere* quasi in solo proprio. Ac fortius illud verbum hoc loco aptissimum mihi videtur. Loquitur enim Scipio de Hannibale fugiente *(agmen in modum fugientium raptim agebatur),* quem retrahere conatus esset ad decernendum. Pervulgatum est retrahere aliquem fugientem (ex fuga, ex itinere) pro eo quod est reverti cogere, item pertrahere de iis, qui ad pugnam atque ad insidiarum loca eliciuntur (21, 54, 4. 22, 15, 7. 29, 34, 13. 31, 36, 2), simplex autem trahere apud Livium est secum trahere, velut 28, 44, 9, quem locum allegat Wsb. Pronuntiatio Scipionis haec est, trans Alpes pugnandi Hannibali se aut incutere studuisse voluntatem aut imponere necessitatem.

41, 9 *decedere Sicilia, qui stipendium* 1, 3. Mog. Ald. Sob. Frob. Grut. Gron. Drak. Fab. Mvg. *decedere Sicilia, stipendium* Wsb. ed. 6. *decedens Sicilia stipendium* Als. Wsb. ed. 1. Wfl. *decedens sici-*

lia| *stipendium* M. Notavit Walberg, ad initium versus lacunam esse, quae duas vel fortasse tres litteras capere potuerit. *decedere Sicilia stipendium* legens Colbertini discrepantiam *decedens* ascripsi, nec quidquam praeterea. Ac »decedere Sicilia» separatim ut pacis condicionem pronuntiare inutile erat, ubi paulo ante dictum est »qui iussus ab consule nostro praesidium deduxit ab Eryce»; id addendum erat, decedentem sive praesidium deducentem stipendium dare pactum esse.

42, 3 *et ut cuiusque* Laur. Valla (»scribendum est Ut cuiusque, vel Et ut cuiusque»), Mvg. *et cuiusque* PCM Alsch. *ut cuiusque* edd. ante Alsch. Wsb. ed. 1. *cuiusque* Wfl. Wsb. ed. 6. Collato loco 9, 31, 9 (ut quisque liberaverat se onere, ad signa undique coibant) Woelfflin, si scribatur »et ut cuiusque», verbum plurale desiderat. Durum tamen ac molestum erat »alacres inter gratulantes gaudio exsultantes ... arma raptim capiebant»; praeterea, si *et* admittitur, *capiebat* cum eo, quod praecedit, *optabat* connectitur. Cum *ut* plerique, retento simul *et*, inserere nolint, atque ex iis, quae habent cdd., *et cuiusque*, aut *et* aut *que* elidendum sit, haud scio an consultius, *que* dimisso, *et cuius* scribatur, quod in compluribus cdd. et edd. esse testatur Drakenborch. Cum aliis locis *que* falso additur tum 1, 24, 3 *ut cuiusque* est pro eo, quod iam magis probatur, *ut cuius*.

43, 1 *Cum* Bkr, Wsb. Mvg, Wfl. *dum* PCM 1. 3. Mog. Ald. Sob. ceteri, in quibus qui, etsi ipsi *dum* servant, *cum* scribi iubent, Gron. Crev. Doering, Kreyssig. Tali modo sequente plusquamperfecto *dum* in usu fuisse non potest aliis exemplis probari. Legitur quidem et in omnibus cdd. et in edd. vett. 23, 10, 12 Magius deportatus ad Ptolemaeum, dum eum docuisset, contra ius foederis vinctum se ab Hannibale esse, vinclis liberatur; sed auctore Gronovio iam dudum editores cum substituunt. Vix memorabilis est haec discrepantia Gruteri aliorumque nonnullorum, 23, 48, 3 Gracchus in Apulia legiones dum duxisset, Valerium inde Brundisium misit, Per. lib. 28 Ipse Scipio dum gravi morbo implicitus esset seditionem in parte exercitus motam confirmatus discussit. Scribitur hodie illo loco cum duxisset, hoc dum implicitus est. At imperfecti coniunctivi post *dum* positi in Epileg. ad lib. I. p. 59 exempla protuli, ad quae haec, quae minus certa sunt, addam: 29, 23, 1 Dum haec apud Romanos gererentur, Carthaginienses quoque . . . haud parvum et ipsi tuendae Africae momentum adiecerunt. *gerentur* P, *gererentur* 3. Mog. Ald. Gryn. *geruntur* Rhen. sqq. Per. lib. 30 Mago .. vulneratus, dum in Africam revocatus reverteretur, ex vulnere mor-

tuus est. Per. lib. 130 Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur, tarde Mediam ingressus bellum Parthis intulit. 36, 8, 3 Ibi dum opperiretur Aetolos, Philippum . . ad legenda ossa Macedonum misit. Aldus ex fide cod. Mog. Edd. ante Aldum *opperitur*, sic iamdiu omnes. Enumerat Drak. complures cdd., qui habeant 6, 42, 4 Dum . . . quietae externae res Romanis essent, fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem, ut cet. In optimis cdd. non *dum*, sed *cum* legi. Sic etiam 8, 17, 7, ubi ex edd. Francof. diu propagabatur haec scriptura: a quibus d u m dilectus intentius haberetur, exploratores missi attulerunt cet. Contra cdd. legitur in edd. Mog. Ald. aliis 21, 34, 8 Nam dum cunctaretur Hannibal demittere agmen in angustias, ... montani viam insedere. Ex cod. Mog. fertur 34, 40, 5 Dum oppugnarent tyrannum, Argivi . . . praesidium expulerunt. Scribunt hodie Dum oppugnatur tyrannus. Ignotae originis est lectio antiqua 35, 8, 1 Dum haec in Hispania agerentur, comitiorum iam adpetebat dies. Recentiores secundum cdd.: Cum haec in H. gerebantur cet.

Iustus est coniunctivi imperfecti (interdum praesentis) in oblique dictis, si quid ut cogitatio alius alicuius, qui pro subiecto nominatus est, enuntiatur, raro tamen a criticis quibusdam veteribus sine animadversione relictus. 21, 21, 10 partiens curas (Hannibal), ne, dum ipse . . Italiam peteret, aperta Romanis Africa esset, valido praesidio firmare eam statuit. »Vel *dum petit*«, inquiunt, »vel *cum peteret* legendum videtur«. Similes reprehensiones in iis, quae sequuntur, exemplis inutiliter repetit Drakenborch. 31, 26, 6 rex cum parte Philoclem Athenas mittit, cum parte Piraeum pergit, ut, dum Philocles . . . contineret urbe Athenienses, ipsi Piraeum expugnandi facultas esset. 37, 18, 2 Seleucus . . . transire in fines regni Eumenis, dum is procul ab domo Lyciae maritima oppugnaret, statuit. 45, 6, 5 tantum moratus, dum pecunia deferretur. 45, 11, 2 Ptolemaeus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi .. ratus ... non destitit. 24, 24, 2 fessus uxoris vocibus monentis, nunc illud esse tempus occupandi res, dum turbata omnia . . essent, dum . . obversaretur miles, dum . . duces adsueti militibus iuvare possent incepta. 44, 36, 11 se magnopere suadere, dum in campo patenti hostem habeat, adgrediatur. Bis, ubi scribitur *cum*, forsitan *dum* praeferendum sit: 34, 49, 10 Discordiam et seditionem omnia opportuna insidiantibus facere, cu m pars, quae domestico certamine inferior sit, externo potius se adplicet, quam civi cedat, 35, 36, 7 alii dicere exturbandos Aetolos et libertatem, cum restitui videretur, interceptam, repetendam. Hoc loco *dum* con-

iecit Gron., altero *dum* cod. Voss. Utrumque nimirum displicet Drakenborchio.

43, 4 *habentibus* cdd. edd. *habentes* Madvig Gronovium allegans, quem tamen video tacite *habentibus* exhibuisse. At teste Drakenborchio monuit Iac. Gronovius et patri in mentem venisse *habentes*, ut emendant Doujat et Crevier. Ut paulo post *urgent*, sic *claudunt* eo magis obiecto carere poterat, quod ad hoc per zeugma significationis a sequenti nomine effugii peti potest. Nam claudere effugium est viam claudere, qua effugere aliquis potest, ut Tac. Ann. 16, 15 centurio . . effugia villae clausit, Liv. 24, 26, 12 si effugium patuisset in publicum. Tamen vel simpliciter claudere absolute ponitur: 22, 5, 6 ab tergo hostium acies claudebat, 36, 18, 4 loca invia claudunt, 37, 27, 7 rupes claudunt. Haud infrequens omnino est is usus verborum transitivorum: 2, 58, 7 nec pudor nec metus coercebat, 1, 53, 4 excepit lentius spe bellum. Saepius ducit ad hostem, aves addicunt, alia. — Ib. *maior* edd. ante Drak. *maior Padus* cdd. Drak. Wsb. Wfl. Repetitum illud nomen fluminis quaesiti aliquid molestique habet. Facile iteratum est, aut ex margine immigravit. Mvg uncis inclusit.

44, 6 *Ad Hiberum est Saguntum*, quod, quia vel a Carthaginiensi illo, qui interloquens inducitur, vel a Romano inepte adfirmaretur, uncis incluserant Hz et in ed. 1. Wsb., molesto additamento ad hunc modum exornavit Madvig: At *non ad* Hiberum est Saguntum. Habent vero cdd. non *at hiberum*, sed *ad hiberum*. Alia igitur interpretandi via ineunda esse videtur. Vetat Romanus Carthaginiensem Hiberum transire, vetat eum Saguntinos bello lacessere, quae coniunctim postulata Carthaginiensi ansam dant ad interrogandum: *Ad Hiberum est Saguntum?* Itaque modestiore modo admonentur Romani, quod ipsi de termino bellandi statuissent, id ad Saguntinos minime pertinere: ne adiacere quidem Hibero Saguntum, nedum ultra illud flumen situm esse. Ad iustam illam interrogationem superbia elatus praecise respondet Romanus quoquam omnino ultra progredi vetans Carthaginienses. Hanc interpretationem, quam in priore ed. dederam, probavit Weissenborn. Madvig, ut suum obtineat, e codicum scriptura *(ad hiberum est Saguntum)* facilius effici ait *at non ad Hiberum* quam *at cis Hiberum*. Neutrum vero e codicum scriptura efficitur, nec, si recte intelligitur, quidquam novi inde efficere opus est. A prioribus edd. pro enuntiato affirmativo acceptum illud dictum plerisque Carthaginiensis respondentis, Fabrio Romani incusantis esse visum erat.

44, 7 *et inde si cessero*, quo loco *si* sequente *cessero* ob vocis similitudinem facilius excidit, restituendum mihi visum est, quo etiam adverbium *inde* pronuntiatione iuvatur. Quod probavit Wsb. ed. 6. *et inde cessero* PC Cant. Drak. Wsb. ed. 1. Fabri, cui hic dicendi modus et gravior et magis oratorius videtur, quam si addatur coniunctio. *et si inde cessero* Ald. Frob. Grut. Gron. Mvg. *si inde cessero* 1. 3. Asc. Mog. —

Ib. *vindicarimus* e coniectura Gronovii Crev. Drak. Bkr. Mvg. *vindicaremus* PCM Cant. Als. Wsb. ed. 1. Hz. Hrw. Wfl. *vindicaverimus* 1. 3. Mog. Ald. Sob. Frob. Grut. Si *nihil nobis relictum est* »nihil nobis concessum est« intelligitur, recte quidem se habet *vindicaremus*, sin ita accipitur ut »nihil nobis nelinquetur«, »nihil habebimus«, probandum *vindicarimus*, ut facile in alterum mutatum. Tamen codicum scriptura, nisi ubi necesse sit, non relinquatur. Ceterum de futuro tempore tunc loqui cum statu Hannibalis minus conveniebat: qualem condicionem Carthaginiensibus paraverint Romani, indignabundus commemorat.

44, 8 *victoriam mortemve* quasi pro signo habere eos oportere; sequitur enim interpretatio: aut vincere aut in proelio mortem oppetere; inter duas res diversas, e quibus aut eam quae grata aut quae ingrata esset eligere liceret, desperationem sitam esse. Sunt, qui *mortemve* in *mortemque* mutare velint.

44, 9 *fixum omnibus in animo* Mvg (»*destinatum* tollendum ut interpretandi causa adiectum«). *fixum omnibus destinatum in animo* PCM Als. Wsb. ed. 1. Teubn. *fixum omn. destinatumque in animo* C m. 2. 1. 3. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Bkr. Stroth. *fixum omn., si destinatum in animo* e coniectura Sauppii Wsb. ed. 1. Weidm. *fixum omn., si destinatum animo* Wfl. Wsb. ed. 6. Tollit *in* Wfl., qui affert 27, 47, 9 destinatis animo latebris, contenditque 6, 6, 7 *sibique destinatum animo esse* e cod. Veron. restitui debere. At in Veron. non deest *in*, sed *id* legendum videtur, atque in omnibus cdd., quos vidi, *destinatum in animo* exstat, quare is locus multum valet ad *in* tuendum, etiamsi *destinare animis* legatur 9, 16, 19; 28, 24, 3; 33, 28, 5. Sed post *bene fixum* plane supervacaneum est *destinatum* nec infarciri potest nisi aliqua coniunctione ad libitum addita (fuerunt quoque, qui »ac destinatum« vellent). Certius igitur pro duplici scriptura habetur, cuius generis in hoc libro sunt 25, 5 *incertum* post *dubium*, 28, 5 *nantem* post *refugientem*.

Ib. *nullum contemptu mortis telum* cet. e coniectura Strothii Mvg. *nullum contemptum ad uincendum homini ab dis immortalibus acrius datum est* PCM (*contemtum* C, *diis* C) Bkr. *nullum contemptu ad*

uincendum: homini: a diis immortalibus acrius telum datum est 1. *nullum incitamentum ad uincendum homini a diis immortalibus acrius datum est* Laur. Valla, 3. Mog. Ald. Iunt. Sob. Frob. Grut. Giov. Hz. *nullum momentum ad vinc. hom. ab diis imm. acrius d. est* Gron. Drak. Crev. *nullum enim telum ad vinc.* cet. Als. *nullum eo telum ad* cet. Wsb. ed. 1. Fabri. *nullum contemptu vitae telum* cet. Wfl. Wsb. ed. 6. Quod coniecerant Gebhard, Heusinger, M. Haupt.

Pari modo huic loco medendum esse videtur atque alii paulo ante (41, 4 neque regressus). Pro fundamento firmissimo utendum est eo, quod in cdd. pro *contemptu* scriptum est, *contemptum* attracta nimirum ex verbo aliquo sequente littera *m*; deinde praetermittendi citiusque in aliud transeundi causa fuit verbum aliquod in eandem syllabam *tum* desinens; nec id e longinquo petendum. Nam, ut mea fert opinio, post *contemptu* proxime secutum est *mortis* (ac genitivum hic omissum desiderant), deinceps illud, quod diu voluerunt, *incitamentum.* Atque hoc ipsum sensui huius loci melius quidem convenit, quam, quod in unam vel alteram antiquam editionem alieno loco intextum est, *telum*, quo omnino significatur instrumentum, adiumentum, praesidium: cf. 3, 55, 3. 3, 69, 2. 4, 28, 5. 5, 29, 9. 6, 35, 8. 9, 37, 6. Sall. Hist. 3, 61, 12. Cic. Lael. 17. Fam. 7, 16, 1. Multo magis hic dicitur de irritamento sive acribus ad pugnandum stimulis. Itaque ex parte probata Strothii coniectura sic scribendum censeo: nullum c o n t e m p t u m o r t i s i n c i t a m e n t u m ad vincendum homini ab diis immortalibus acrius datum est. Quod placet aliis, «contemptu v i t a e», id nec cum ratione scripturae, qualis mansit in cdd., nec cum loquendi consuetudine convenit. Dici enim solet contemnere mortem (cf. Tac. Hist. 5, 5 moriendi contemptus), non item contemnere vitam, sed contra vitae cupidum esse, cupido lucis, vitae cupiditas, similia, cf. *διὰ τὴν πρὸς τὸ ζῆν ἐπιθυμίαν φεύγειν* Pol. 3, 63, 6, Utinam minus vitae cupidi fuissemus Cic. Fam. 14, 4. Reliquae, quae fuerunt, coniecturae, iam ab aliis refutatae sunt.

45, 5 *velit* cdd. edd. *vellet* Mvg. ed. 3. suadente Wesenbergio. De repraesentatione temporum apud Livium vid. Kuehnast Liv. Syntax p. 219 sqq. Draeger Hist. Syntax § 125. B. — § 7 *pro his* cdd. edd. *pro iis* Mvg. — § 8 *dextra* PC 1. 3. Ald. Frob. *dextera* Mog. Grut. Gron. Drak. Als. (qui tacet de cdd.), Wsb. Mvg. — Ib. *secundum* Gryn. Rhen. Grut. Gron. Drak. *et secundum* PCM 1. 3. Mog. Ald. Sob. Als.

46, 3 *cum equitatu iaculatoribusque expeditis*, i. e. cum expedita manu equitum et iaculatorum. Cf. 22, 55, 4 Q. Fabius censuit, equites expeditos Appia via mittendos. Neque tamen erant equites apud Romanos gravis armaturae. Cum dicit Polybius (3, 65) *πᾶσαν τὴν ἵππον ἀναλαβόντες ἀμφότεροι, Πόπλιος δὲ καὶ τῶν πεζῶν τοὺς ἀκοντιστάς, προῆγον*, propter rem contrariam *τῶν πεζῶν* additum est, quae causa non fuit Livio «iaculatoribusque peditum» vel «ex peditibus», ut vult Woelfflin, scribendi. — Ib. *ex propinquo copiasque* Gron. («videtur Livii fuisse»), Als. Wsb. Fab. Mvg. *ex quo propinquo copias* PCM Giov. *ex loco propinquo copias* 1. (Petrarca emendavit teste Laurentio Valla). *exque propinquo copias* 3. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Bkr. *ex colle propinquo ad copias* Mog. Sob.

46, 4 *hominum et equorum* Wsb. Wfl. *hominum equorum* PC Hz. Fab. *hominum equorumque* 1. 3. Asc. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Als. (qui tacet de cdd.) Mvg. Facile *et* ante *equorum* excidit, si quidem excidit. Saepe *que*, ubi copulam deesse putarunt, apposuerunt correctores, velut supra 44, 9 destinatumque, 39, 2 tabeque.

46, 7 *ad pedes pugna venerat* Gron. (altera coniectura). Bkr. Wsb. Mvg. Wfl. *ad | des pugna uierat* P. *ad pedes pugna ierat* Gron. Drak. Stroth. *ad pedes pugna iuerat* C Als. Wsb. ed. 1. Teubn. *anceps pugna erat* P m. 2. 1. Ald. Sob. Frob. Grut. *anceps erat* 3. Mog. — § 8 *erat* C 1. 3. Mog. Ald. Sob. Frob. Als. Mvg. *erit* P Gron. Drak. Wsb. Wfl. Saepius mutantur *a* et *i*.

47, 3 *ad sexcentos* e Polybio restituit Gron. *ad haec* P. Itaque apparet DC in AC, deinde in HAC et ob praepositionem in HAEC abiisse. *aliquot* edd. ante Gron.

47, 3 *moratorum* «hoc loco et cap. sequenti non est a recto *moratus*, sed *morator;* neque notat, qui ad morandum alium relicti sunt, sed ipsi moras nectunt. Et ita etiam infra 24, 41, 4 ad duo milia aut moratorum aut palantium per agros interfecta». Drak. «*moratorum* a *morator*, de milite, qui moras faciendo ab agmine se seiungit et post agmen demum subsequitur. nos Nachzügler». Doering. Similiter Woelfflin aliique interpretantur. Curt. 4, 40, 10 *moratores*, «ein livianisches Wort für das moderne: Marodeur». Iul. Muetzell. Ibm C. T. Zumpt: «Moratores sunt non qui hostes morantur, ut Gronov. Obss. II, 8 putavit, sed qui maiore parte exercitus praegressa aut ob defectum virium aut praedandi causa retardati extremum quasi agmen claudunt... Videtur hinc derivatum

esse Gallicum vocabulum in alias linguas recentiores receptum maraudeur».

Cogitatio de Gallico illo vocabulo, non sane cognitio substantivi Latini totam istam interpretationem genuit. Sunt vero longe diversae originis ac significationis ista verba. «*Maraud* terme d'injure et de mépris, celui qui ne mérite pas de considération, vil et impudent coquin; signifie primitivement en français pauvre gueux». Littré. *Morator* autem est, qui moram adfert, qui rem aliquam moratur, retardat, reprimit, inhibet, ἐπέχει; itaque, ut ex titulis et anaglyptis, quae ludos circenses repraesentant, coniicere licet, moratores appellabantur, qui in his ludis quadrigarios et bigarios morabantur, ne ante tempus aut non suo ordine currerent; in foro autem sic appellati causidici quidam, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores se denuo compararent ad dicendum. Cic. Div. in Q. Caecil. 15, 49 ex illo grege moratorum, qui subscriptionem sibi postularunt. In reliqua significatione bis illud substantivum invenitur, Liv. 2, 44, 6 novem tribunorum adversus unum moratorem publici commodi auxilio dilectum consules habent (i. e. qui dilectu impediendo publicum commodum impediebat, morabatur), Curt. 4, 40, 10 Persarum moratores erant, mille ferme, qui speciem magni agminis fecerant. Huic agmini moratorum, quod pro Dario ipso adventante primo habitum erat, quid negotii fuerit, contextus orationis satis docet. Tigri superato cum audisset Darius haud procul abesse Alexandrum, Satropaten equitum praefectum cum mille delectis praemisit, et Mazaeo praetori sex milia data, quibus hostem transitu amnis arceret: eidem mandatum, ut regionem, quam Alexander esset aditurus, popularetur atque ureret. Post transitum Euphratis non inhibitum penetrante ad Tigrin Alexandro tota regio ultra amnem recenti fumabat incendio: quippe Mazaeus, quaecumque adierat, haud secus quam hostis urebat. Is vero, qui, si transeuntibus primum Euphraten deinde Tigrin supervenisset, haud dubie oppressurus fuit incompositos, in sinistra demum Tigris ripa et iam perarmatos adequitare coepit. Mille admodum equites praemiserat, quos vicit Aristo praefectumque eorum Satropaten interfecit. Castris motis secundum Tigrin progrediens Alexander Persarum moratores conspexit ac refugientes ad suos assecutus est; equitesque praemisit, qui ignem exstinguerent, quem fugientes illi raptim tectis acervisque frumenti iniecerant. Adeo Mazaeus iam fugere contentus, ut addit Curtius, pleraque inviolata hosti reliquit. Quae cum ita sint, moratores illi Persarum, qui dicuntur, pars eorum fuerunt, qui ut hostes adventantes morarentur et impedirent

missi erant ab Dario, nec usquam nominis illius alia vis esse reperitur, quam transitiva; quos vero Gallico nomine *maraudeurs* appellant, proprie sunt nebulones, nequam, improbi.

Iam vero participium *moratus* tribus potissimum locis, quibus cum substantivo confundi solet, perquiramus. Narrat Livius 21, 47, ubi post proelium equestre adversum ultra Ticinum commissum ab eo flumine castra moverit Scipio atque ad Padum properaverit, «ad sexcentos moratorum in citeriore ripa Padi segniter ratem solventes» ab Hannibale captos esse (Fuit tamen teste Polybio 3, 66, 3 *ὁ πρῶτος ποταμὸς καὶ ἡ ἐπὶ τούτῳ γέφυρα,* i. e. pons in Ticino factus). Aperte refert Polybius fuisse *τοὺς φυλάττοντας τὴν γέφυραν ἔτι περὶ τὸν ποταμὸν ὑπολειπομένους*, atque addit: *τούτων μὲν ἐγκρατὴς ἐγένετο, σχεδὸν ἑξακοσίων ὄντων τὸν ἀριθμόν.* In tali re nullo modo dicere potuit Livius sexcentos moratores captos sed sexcentos moratorum sive morantium, i. e. pontis custodiendi ac solvendi causa remanentium atque, ut reprehendit Livius, segniter id negotium administrantium. In proximo autem capite, ubi de transitu Trebiae mentio fit, «Minus quam ad Ticinum fefellit», inquit Livius, quasi nunc primum meminerit, id, quod modo relatum esset, ad Ticinum, non ad Padum accidisse. Missi ab Hannibale primum Numidae, deinde omnis equitatus «cum iam transgressos Trebiam Romanos metantesque castra conspexissent, paucos moratorum occiderunt citra flumen interceptos». Qua in re his verbis utitur Polybius c. 68 *οἱ πλείους ἔφθασαν διαβάντες τὸν Τρεβίαν ποταμόν· τῶν δὲ καταλειφθέντων ἐπὶ τῆς οὐραγίας, οἱ μὲν διεφθάρησαν, οἱ δὲ ζῶντες ἑάλωσαν ὑπὸ τῶν Καρχηδονίων.* Hic, ut ad Ticinum, *οἱ καταλειφθέντες ἐπὶ τῆς οὐραγίας* minime fuerunt maraudeurs aut traînards aut nachzügler. Tertio denique loco, 24, 41, dicitur in Hispania P. Cornelius dubiis sociorum animis in tempore advenisse. «Primo ad Castrum Album castra Romani habuere. Arx erat munita, et convexerant ante frumentum; tamen, quia omnia circa hostium plena erant, agmenque Romanum impune incursatum ab equitibus hostium fuerat et ad duo milia aut moratorum aut palantium per agros interfecta, cessere inde Romani propius pacata loca». Qui aut inter eundum cunctati erant aut se in agros eiecerant, cum omnia circa hostium plena essent, interfecti sunt. Ut palantium sic moratorum participium est: ne similiter caderet exitus utriusque, non palatorum, sed palantium dictum est. Aliter 22, 24, 8 equitatus emissus late caedem fugamque hostium palatorum fecit. Nec quisquam ob id novum substantivum («palator») fingere ausus est. Inter ea participia verborum deponentium, quibus Livius

vi aoristi utitur, moratus et palatus insignia sunt. 2, 50, 6 cum palati passim vaga raperent pecora, 44, 30, 9 aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt. 21, 35, 2 utcumque progressi morative aliquam occasionem fecissent. Quo quidem loco si scripsisset Livius: «utcumque progredientium aut moratorum condicio adflicta (aliqua opportunitas, vel simile) fuisset», evidens nimirum illud esset substantivum morator. Id enim opinione doctorum esse mere Livianum.

47, 3 *ripa Padi* Gron. («facile coniicias»). *ripadi* P. *ripa* C edd. et ante et post Gron., qui genitivum *Padi* vix ad sensum necessarium habebat; sed nisi id a Livio scriptum esset, syllaba *di* in P non facile mansisset. Iis vero exemplis adnumerandum est, ubi parte verbi omissa altera pars derelicta evanescit.

47, 4 *tranasse* P ex correctione, nam in prima scriptura *trannasse* (non »tramnasse«, ut refert Alsch.) prius *n* inductum est, sed etiam *s* supra scriptum, ita ut *transnasse* voluisse videatur m. 2. (quod pro genuina lectione dedit Gron.). *transnasse* CM Gron. Drak. Als. Wsb. ed. 1. *transnatasse* 1. 3. Mog. Ald. Frob. Grut. Tauchn. Moris erat scribarum *tranare* vel in transnare vel in transnatare vertere. Cf. quae adnotavi in Collatione codicum Caesaris ad pag. 26 v. 10.

47, 5 *fuerunt* cdd. quidam recentiores, Mvg, Wfl. *fuerant* Gryn. Rhen. Grut. Gron. Drak. Stroth. *fuerint* PC 1. 3. Mog. Ald. Sob. Crev. Fab. Bkr. Als. Wsb. Hz. Ob id, quod praeit, *travexerint* facile falsa imitatione scriptum est *fuerint;* nam aliter paulo ante dicitur »vix fidem fecerint«, qua de re vid. ad c. 38, 9 norint.

47, 6 *equites Hispanorum expeditos praemissos*, cf. 22, 55, 4 equites expeditos . . mittendos. Nulla causa allata Wsb. ed. 6. et Mvg ed. 3. *et* post *equites* addunt. Sic etiam Wfl.

47, 7 *circa* PCM rell. 1. 3. Asc. Ald. min. Drak. Str. Mannh. Rup. Bkr. Als. Wsb. Mvg. ed. 1. Wfl. *citra* Mog. Ald. mai. Iun. Sob. Frob. Francof. Grut. Gron. Crev. Mvg ed. 3. Cur veterem lectionem, quam diu postpositam restituerat tandem Drakenborch, denuo neglexerit Madvig, hanc rationem breviter reddit: »ed. Mogunt. cfr. § 3 in citeriore ripa, 48, 6 citra flumen«. Quod Hannibal tum in citeriore ripa Padi (rectius Ticini) tum citra Trebiam milites ratem solventes ceperat huc non pertinet. Neque ed. Mog. in hoc vocabulo maioris fidei est quam paulo ante, ubi habet »eo cum Magone equites« cet. Ab utraque parte fluminis Hannibalem, tum statim post victoriam partam tum post transitum Padi, legationes Gallorum audivisse diserte narrat Polybius 3, 66.

49, 2 *avertit* vid. c. 20, 4. — *perscribit* Frob. Grut. Gron. *praescribit* 1. 3. Mog. Ald. Sob. — *monetque ut* (CM) Als. Mvg. *monetque et* P. *monetque* 1. 3. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Wsb. Wfl. Satis causae esse videtur, cur *ut* admittatur.

49, 7 *a praetore*, quod addi non fuit necesse, prope suspectum est, quia alieno loco post *circa* in P *praetore* (deinde *a ciuitate*), in edd. (1. 3. Mog. Ald. Frob. Grut. aliis) *praetorem* (deinde *a civitate* 1. 3. Ald. min., *ad civitates* Mog. Ald. mai. Frob. Grut. Gron.) scriptum est. Collocandum quidem aut ante »et circa civitates missi», quod cum altero enuntiato «et ante omnia L. teneri» connectitur, aut paulo remotius »et circa civitates a praetore missi.» Duplex fuisse apparet officium praetoris, ut et reliqua oppida ad mare sita et inprimis Lilybaeum, caput insulae, tutaretur, ideoque incommode ad hunc modum seiunguntur illa: »et a praetore circa civitates missi . . . et ante omnia L. teneri». — *et ante omnia* Mvg. *ante omnia* PC rell. 1. 3. Mog. Ald. Gron. Drak. Wsb. Wfl.

Ib. *qui suos . . . intenderent* 1. 3. Mog. Ald. rell. *qui* om. P. »Post tribunique excidisse qui pervagatissimo errore, iam ante artem typographicam inventam intellectum est», Mvg Emend. p. 274. *a praetore missi legati* cet. idem valet ac »praetor misit legatos tribunosque, qui suos (i. e. praetoris milites) ad curam custodiae intenderent». Woelfflin eumque in ed. 3. secutus Madvig, potius quam *qui* illud »pervagatissimo errore» omissum restituerent, *intenderent* in *intendere* mutantes sic scripserunt: a praetore »circa civitates missi legati tribunique suos ad curam custodiae intendere». *suos* igitur legatorum tribunorumque milites magis quam praetoris intellectos volunt.

49, 8 *deferrent, ut, ubi* Mvg, Wfl. Wsb. ed. 6. *deferrent et ubi* PCM 1. 3. Asc. Ald. min. Sob. Als. Wsb. ed. 1. Fab. *deferrent, ubi* Mog. Ald. mai. Grut. Gron. Drak. Bkr. Quia id simul edici absonum erat, ne quis, ubi naves conscendendi signum datum esset, moram faceret, neque consilium edicti illius de cibariis praeparandis addito *ut* declarare opus erat, suo iure editores per plus trecentos annos copulam *et* simpliciter reiecerunt, quam ex ultimis litteris verbi praecedentis *deferrent* natam esse censet Drak. Tamen Madvig pro *et* scripsit *ut*, quod receperunt Wfl. et Wsb., etsi uterque monuit non tam longe seiungi solere *ut* et *ne*.

Ib. *ne quid* 1. 3. Asc. Mog. Ald. Sob. Frob. Herv. Vasc. Mvg, Wfl. Wsb. ed. 6. *ne quis* PCM Sig. Mod. Grut. Gron. Drak. Bkr. Als. Fab. Wsb. ed. 1. Edictum est, ut socii navales omnes confestim cocta cibaria ad naves deferrent, ne quis, ubi signum datum esset, ob eam curam moram conscendendi faceret. Non est cur hic

ab optimis cdd. recedatur. Ceterum in sequentibus non Vascosanus primus «ne quid m. c. f a c e r e n t» exhibuit, ut putat Drak., sed repetivit errorem ex edd. 3. et Ald. min., quae iam in edd. 1. Asc. Mog. Ald. mai. aliisque sublatus fuerat.

Ib. *missis* Mvg. *missi* Wsb. *dimissis* Wfl. *dimissi* Hrw., qui primus rectam huius loci emendandi viam iniit. Est enim in P aliisque *classem simili itaque*. Praeferendum ex quattuor illis, quae offeruntur, id, quod post *classem* facilius *simili* factum sit; videtur quidem *classem dimissi* in uncialibus litteris ei mutationi obnoxium fuisse, sed etiam *classem missi* repetita syllaba *sem;* minus verisimile est, verbum, quod mutatum fuerit, in *s* exiisse. Itaque *missis* vel *dimissis* tum demum scribendum, si propter sensum necessarium sit. Sensus autem id tum primum poscit, si tum cibariis ad naves delatis, sive edicto de ea re proposito, tum per omnem oram dispositis, qui ex speculis prospicerent classem Carthaginiensium, Lilybaeum apparatu belli tenebatur. Sed non magis hoc, quod per omnem oram custodes disponebantur, quam quod in reliquis circa civitatibus milites Romani ad curam custodiae intendebantur, ad ipsum Lilybaeum firmo praesidio apparatuque belli tenendum pertinebat, quamobrem ne illud quidem cum *edicto proposito* simili casu coniungendum est. Narratur M. Aemilius circa civitates misisse legatos tribunosque, Lilybaeum inprimis tenuisse apparatu belli, per omnem denique oram custodes dimisisse. Varietas autem est constructionis.

49, 10 *signum datum ex speculis* Wsb. Mvg. *datum expeculis* P. *datum e speculis* C. *datum est signum e sp.* 1. 3. Asc. Mog. Tauchn. *datum e sp. signum* Ald. Sob. Frob. Grut. Gron. Drak. Bkr. Fab. (*ex* Fab. Tauchn.). Ex omittendi consuetudine colligo *datum signum* primam scripturam fuisse.

Ib. *in stationibus.* Laudans Iacobum Gronovium, quod *in* illud a prioribus omissum restituisset, Drakenborch certe animo non praeviderat postero tempore futuros, qui id rursus expellerent. Iam vero uncis inclusit Woelfflin adfirmans in altero membro in tam arta copulatione praepositionem repeti non solere. Eum auctorem nominans Madvig reiecta prorsus praepositione ista sic scripsit: pars militum in muris portarumque stationibus, pars in navibus erant. Quod si ita esset in cdd., nemo fere quidquam mutandum putaret; sed cum libri manu scripti ad secundum nomen *in* repetant, num hoc recte atque ex consuetudine scriptoris nostri fiat, quaeritur. Satis constat alium usum esse in coniunctionibus locutionibusque disiunctivis, alium in copulativis, atque in his quidem iterationem praepositionis non tam vulgarem esse quam in illis. Tamen, quatenus in

copulativis quoque admittatur, accuratius cognoscendum. De duabus rebus omnino aut coniunctim aut separatim aliquid dici potest: si dispares res vel diversa loca cogitantur, praepositione iterum posita distinentur, sin una cogitantur, non item. Eandem rem alterutro modo intellectam significare licet scriptori. 21, 32, 2 P. Cornelius «ad mare ac naves» rediisse dicitur, quia alterum nomen explicandi, non disiungendi causa additum est; contra 22, 19, 7 tumultus prius in terra et castris quam «ad mare et ad naves» est ortus. Quo loco praepositio repetita est ad separandum tumultum ad mare et tumultum ad naves ortum, vel dicam ad locorum diversitatem indicandam. De Hannibale urbem Romam aggrediente dici poterat 26, 13, 11 «ad moenia ipsa et portas accessit», sed scripsit Livius «ad moenia ipsa et ad portas accessit», nec adhuc quisquam id corrigere ausus est. Pari modo eo loco, de quo disputamus, licuit ei de muris et portis ut pariter periculo expositis disiunctim custoditis scribere «pars militum in muris portarumque in stationibus» cet., idque eo magis cum etiam ubi talis non est diversitas rerum significanda praepositionem ad sequens substantivum interdum repetat Livius: 3, 45, 9 saevite in tergum et in cervices nostras, 5, 40, 1 quos in Capitolium atque in arcem prosequebantur, 37, 54, 17 patrocinium receptae in fidem et in clientelam vestram universae gentis, 10, 19, 4 dimitti ab Appio eum, sed a republica et ab exercitu retineri, 36, 17, 13 ab Aetolis et ab Antiocho liberare, 34, 61, 16 rem ad consules et ad senatum deferrent, 40, 33, 16 Quae res ad resistendum eos et ad capessendam pugnam impediit, 5, 52, 13 de sacris loquimur et de templis. Alia exempla sunt, ubi apertius separantur vel res vel loca vel homines: 1, 57, 1 ut in ea regione atque in ea aetate, 23, 38, 1 Dum haec in Lucanis atque in Hirpinis geruntur, 26, 25, 6 in Macedoniam atque inde in Thraciam exercitum duxit, 39, 44, 5 cloacas in Aventino et in aliis partibus faciendas, 42, 34, 1 a consule et ab tribunis petiit, 22, 53, 3 ad P. Scipionem admodum adolescentem et ad App. Claudium summa imperii delata est, 35, 50, 7 cum tribus milibus militum et cum omni classe, 6, 25, 7 commeatus in castra ex urbe et ex agris devehitur, 8, 11, 9 ex Latinis et ex Volscis populis, cf. per. lib. 46 cum ex Hispania et ex Macedonia immensas opes retulisset, 10, 17, 1 Certatum inter App. Claudium maxime ferunt et inter P. Decium.

50, 8 *classem ornatam armatamque* scribendum existimavi; nam in cdd. exstat *classem ornatamque*, ex quo apparet aliquid omissum esse. Ita autem confunduntur facile in describendo verba, ut postquam recte initium factum est, ubi sequitur quod similiter exeat, ad

hoc alterum simile statim transeatur, devorenturque partes utriusque verbi interiacentes, velut a principio fuerat 21, 52, 11 *sequentes cedentesque*, 23, 30, 3 *suetae insuetaeque*, sed in cdd. propter eam ipsam causam mansit illo loco solum *sequentesque*, hoc aequaliter *suetaeque*. Eo igitur, qui adest, loco si fuit *ornatam armatamque*, ex priore complexu litterarum *atam* in alterum properavit librarius, quo facto nihil mansit nisi *ornatamque*, nec fuit verbum aliud externa similitudine magis omissioni expositum, quam *armatam*. Copulantur eo modo a Livio bina verba vario ordine ad copias vel classem vel naves plene paratas rebusque omnibus necessariis abunde instructas significandas. 27, 13, 10 Postero die ornati armatique ad edictum aderant (cf. 40, 47, 8 tribunis militum imperat, ut ornari omnes copias et decurrere iubeat armatas), 7, 10, 5 iuvenem armatum adornatumque adversus Gallum producunt (cf. 24, 48, 7 armandi ornandique et instruendi eos artem ignorare), 42, 45, 7 classem instructam ornatamque ostenderunt, 26, 39, 7 instructam et armatam classem habebat, 24, 40, 5 classe instructa parataque, 27, 15, 7 naves instructae parataeque, 34, 27, 8 instructos paratosque habebat milites, 42, 52, 3 ut omnia instructa parataque essent, 29, 24, 7 omnibus instructis paratisque, 7, 23, 5 satis omnibus instructis comparatisque, 43, 3, 7 classis parata instructaque, 30, 3, 4 classem paratam instructamque habebant, 42, 43, 3 omnia praeparata atque instructa. Raro simpliciter dicitur: naves ornatas mittere ad alqm (43, 9, 5), ornato exercitu obviam venire (44, 1, 6), classes et naves ornare (26, 36, 4. 40, 26, 8), classem ornare et reficere (9, 30, 4). 37, 50, 5 Naves idem consul, quae priore anno paratae erant, ornare iussus ac ducere secum. Itaque tum ob loquendi usum tum ob vestigium illud codicum alterum eo loco, de quo agimus, adiectivum desideratur; quod quidem edd. ante Alsch. minus intellexerant. Is autem *armatam ornatamque* coniecit, quod initio probaverunt Wsb. et Mvg; *ornatam [armatam]que* Hz. Ut vero Wfl. *instructam ornatamque* coniecit (etsi id minore formae similitudine non tam facile hoc loco omissum est), Mvg in idem abiit; Wsb. dubius fuit. Memorat enim Wfl., quod est 42, 45, 7, classem instructam ornatamque, eaque participia sic saepius apud Ciceronem de navibus coniungi. Apud Livium vero, ut exemplis allatis ostendi, eadem omnino verba et de navibus et de copiis sive militibus usurpantur, nec instructus et ornatus ea ipsa sunt, qua saepissime ab eo coniungi solent. De collocandis participiis illis hoc addit Woelfflin: »jenes *(instructam)* die Ausrüstung mit dem Nothwendigen bezeichnend in der Regel vorangestellt, dieses *(ornatam)* die Beqvemlichkeit und Schön-

heit berücksichtigend, an zweiter Stelle». Illud ipsum »Ausrüstung mit dem Nothwendigen» significare, quod est *ornare classem*, docent interpretes; nec tam ut commoditas et pulchritudo designetur, quam ut vis verbi plenius perfectiusque exprimatur, alterum eiusdem generis adiungitur. Vid. H. I. Müller ad Liv. 43, 3, 7. Si scripsisset Livius »classem instructam ornatamque», omissione commissa »classem instructamque» reliquum fuisset. Collocationem verborum Ciceronis non eandem esse constat quam Livii; ceterum is quoque in his verbis variat: Cic. Manil. 8, 20 copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse. Ut hic Livius mea opinione ornatam armatamque scripsit, sic auct. bell. Afr. 86 elephantos ornatos armatosque.

51, 4 *Iam forte transmiserant*, h. e. Per eos forte dies iam transmiserant (37, 34, 1). Cf. 10, 40, 6 Exeunti iam forte in aciem nuntiat perfuga cet. *Iam* in *nam* vertit Madvig, quasi causa potissimum indicanda esset, cur nemo hostium circa eas insulas inveniretur, ac simul id narrandum, casu fortuito Carthaginienses ad Italiae oram vastandam tramisisse. Melius directo id, quod tum ipsum susceperant hostes, commemoratur.

52, 2 *vulnere suo minutus* inde ab antiquissimis temporibus lectio est vulgata. In cod. C est *eminutus*, in P, e quo alii *et minutus* retulerunt, verisimilius *ei minutus* legendum mihi visum est (T et I facile inter se mutantur. Voluit m. 2. *eminutus*). Sententiam, quae satis perspicua est, recte expressit Crevier: »minus spei et fiduciae habens», quod tamen *minutus* per se significare non valet; nam proelio adverso et vulnere accepto non dux minuitur, sed facile spes sive animus ducis et militum. Cf. 21, 50, 4 et Romanis multitudo sua auxit animum et paucitas hostibus minuit, 28, 13, 10 Eo proelio aliquantum Romanis aucti et deminuti hostibus animi erant, 37, 39, 6 Nec Antiochus ultra tergiversandum ratus, ne et suorum animos minueret detrectando certamen et hostium spem augeret, Caes b. G. 5, 33 (Consilium Cottae) et nostris militibus spem minuit et hostes ad pugnandum alacriores effecit, Iust. 31, 8, 8 neque Romanis, si vincantur, animos minui, neque, si vincant, secundis rebus insolescere. Itaque animo aucto, spei auctae, pugnandi alacritati, insolentiae rerum secundarum opponitur animus minutus vel spes minuta. Verum ex analogia vel animi minutus vel spei minutus homo dici potest pariter atque postumae spei fatigatus (Apul. Met. 4, 5), animi incertus (Liv. 1, 7, 6. Sall. H. 3, 75. Tac. Ann. 6, 46. Ter. Hec. 1, 2, 46. Symmach. Ep. 4, 67), inter spem metumque suspensus animi (Liv. 8, 13, 17), lassus animi (Plaut. Cist. 2, 1, 8) abiectus, aeger, territus, pendens animi (Liv. 9, 6, 11. 1, 58, 9. 2,

36, 4. 7, 34, 4. 7, 30, 22), animi parum validus (Tac. Ann. 15, 53), minus promptus animi (Tac. Hist. 2, 23), minus fidens animi (Tac. Ann. 4, 59. Virg. Aen. 2, 61), exterritus animi (Sall. Hist. 4, 49). Est apud Livium 7, 34, 4 territus animi, 27, 28, 2 suo vulnere territus (propter quod eo, de quo quaeritur, loco »vulnere suo commonitus« in ed. 1. conieci): scribere igitur sine dubio potuit »suo vulnere animi territus«, nisi id hic et longius et nimium fuisset. Nec apta erat, qua 6, 36, 8 utitur, locutio captus et stupens animi (cf. Tac. Hist. 3, 73), aut aliud aliquod verbum fortius, cuius generis multa sunt, velut anxius animi Sall. Hist. fr. 4, 72, sollicitus animi Liv. 7, 30, 22, inops animi Virg. Aen. 4, 300, victus animi Virg. Ge. 4, 491. Nam id tantum dicendum erat, Scipionis animum deminutum esse, animo eum cecidisse, spe debilitatum esse; itaque eodem iure in hunc modum scribere debebat: *consul alter equestri proelio uno et vulnere suo animi minutus.* Verum si ita scripsit, concurrentium syllabarum *nim min* vel *nimi min* prior facile excidit, quo facto quod mansit vel *a* vel *a i*, ut fieri solebat, novae mutationi obnoxium erat, qua vel in *ei* vel in *et* verteretur. Nam hoc ut credam magis inclinat animus, quam *spei minutus* scriptum fuisse atque litteras *sp* deletas esse.

Ceterum idem genitivus relationis, qui ad animum demissum designandum vario in usu est, etiam ad animi erecti gradus varios significandos cum adiectivis et participiis coniungitur: velut erectus animi (Tac. Ann. 4, 59), firmatus animi (Sall. Hist. fr. 3, 17), confirmatus a. (Apul. Met. 9, 22), ingens a. (Tac. Ann. 1, 69. Sall. H. 3, 13), nimius a. (Liv. 6, 11, 3), inpotens et nimius a. (Sall. H. 4, 71), animi inmodicus (Sall. H. 1, 114. Tac. H. 1, 53), a. atrox (Tac. H. 4, 48. Sall. H. 2, 92), a. ferox (Tac. Ann. 1, 32), fureus animi (Virg. Aen. 5, 202).

52, 9 *Collega cunctante* Mvg suadente Ussingio, Wfl. *Tum collega cunctante* edd. rell. *cum collegam cunctantem* PCM, quod Wsb. ed. 6. ita recepit, ut verbum aliquod sequens deletum cogitaret. Sunt cdd., qui *videt* addant. Facile tamen accussativi isti propter sequentes adficti sunt, et *cum* pro *tum* scriptum. *Tum collega cunctante* a Madvigio reprehenditur »incommoda temporis notatione«. At minime ad *cunctante* adverbium illud referre oportet; inciso disiungunt editores. *Tum*, i. e. in eo dissensu, collega cunctante Sempronius sua sponte rem aggressus est.

52, 11 *hostium caedes, penes Romanos* Mvg, Wfl. *hostium romanos* PC. *hostium romanoℛ* C m. 2. (non C m. 1.). *hostium Romanis* edd. ante Alsch.. (Quod interpretatur Clericus: »fama victo-

riae maior fuit Romanis fama victoriae hostium»). Ad *romanos*, quod tuentur cdd., fulciendum bene Madvig apposuit *penes;* sententia enim haec est: Proelii certamen varium atque anceps tandem aequatum, ac maiorem omnino hostes cladem acceperunt, Romani victores ferebantur. Magis enim ab initio pugnae territi fatigatique Poeni praedae ingentis, qua erant onusti, iacturam fecerunt, plures caesi sunt ac prius pugna destiterunt. Pol. 3, 69, 9 sqq. Itaque potius scribendum videtur *maior tamen hostium clades*, quam, quod coniecit Burmannus, *caedes*, quae pars cladis fuit.

54, 1 *equites* in *equiti* vertere, quod iam voluit Muretus, minus consultum est, non quo eo vis articuli definiti magis accedat, quam eidem nomini c. 48, 4 in loca altiora collesque impeditiores equiti castra movet, sed quia *equiti* in *equites* hic a librariis mutari non potuisse videtur. Edd. ante Bekkerum *ad equites quoque tegendos.*

54, 4 *equitibus* e coniectura Sauppii. *equitibus magoni* cdd., qui dativus aliter ab aliis acceptus ex nomine, ut fit, in margine adscripto oriri potuit. Plerique coniiciunt *cum Magone;* sed *cum* neque hic neque post *ita* facile omissum est; magis credibile est *sub* post equitibus excidisse. Cf. 25, 40, 5 sub Hannibale magistro omnes belli artes edoctus. Auct. b. Afr. 97 bonis venditis eorum, qui sub Iuba Petreioque ordines duxerant.

54, 6 *a destinato* Mvg. In qua scriptura nativa primum *a* ante *d* in *ad* abiit, deinde, quod exstat in cdd., *ad destinatum* scriptum est, postremo *ad destinatum locum* 1. 3. Mog. Ald. Frob. sqq. Semel labefacta scriptura in deterius vertit. Drakenborch denique, Sempronius, inquit, de loco pugnae nihil statuere potuit, utpote artibus Hannibalis in eum protractus. Forsitan fuerit praepositio *a* parum intellecta. Cf. 5, 5, 3 a cupiditate ulciscendi agrum invadere 1, 1, 4 profugus ab simili clade, 1, 31, 4 ab eodem prodigio novemdiale sacrum susceptum est. Consilia destinata 42, 48, 1. Opinio destinata 28, 14, 9.

54, 9 *potentia esset* PC (M?) 1. Asc. Mog. Als. Wsb. Hz. Hrw. Wfl. *potentia essent* Laur. Valla. 3. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Bkr. Madvig (Emend. p. 278 n.) haec adnotavit: «Potentiam tenendi pro viribus ad tenendum nemo Livii aetate dixit.» Num quis vero ulla aetate dixit corpora arma tenere, aut potentem esse tenendi?

55, 2 *ac levem armaturam* coniecit Heusinger («Ich vermuthe, dass ein *ac* zwischen signa*le*vem wegen des zusammenlaufenden *al* ausgefallen sei»), Mvg ed. 3. *levem armaturam* PC rell. 1. 3. Mog. Ald. Grut. Gron. Drak. Als. Mvg ed. 1. Wfl. Wsb. ed. 6. *levemque*

armaturam Sig. («vet. lib.») Wsb. ed. 1. Weidm. Hrw. («*que* erweitert den Begriff, so dass es mit «und überhaupt» übersetzt werden kann»). «Baliares levis quidem armaturae erant, sed octo milia non conficiebant», Stroth. Cf. 22, 4, 3 Baliares ceteramque levem armaturam. Etiam Polybius 3, 72, 7 *Ἀννίβας προβαλόμενος ἐφεδρείαν τοὺς λογχοφόρους καὶ Βαλιαρεῖς, ὄντας εἰς ὀκτακισχιλίους, ἐξῆγε τὴν δύναμιν.* Ubi deperiit *ac* vel *et*, saepius addito *que* compensatur, vid. ad c. 39, 2. Cuius rei ecce aliud, quod sequitur, exemplum.

56, 1 *Trepidantesque ac prope*, incerta altera coniunctione. *trepidantisque in prope* P. *trepidantisque prope* CM 1. 3. Asc. Ald. min. Iac. Gron. Drak. Hrw. *trepidantes propeque* Asc. 1513. Mog. Ald. min. in erratis. Ald. mai. Frob. Grut. Crev. Bkr. *trepidantisque et prope* Als. Wsb. Mog. Wfl. Potuit *in* pro *ac* in P scribi. Integrum sive *ac prope* sive *et prope* fuit, ex consuetudine *propeque* exstitit. Qui fodiebantur elephanti trepidi facti sunt, ac prope fuit, ut in Poenos ipsos ruerent. Cf. 2, 30, 2 ac prope fuit, ut cet. — Ib. *Hannibal. Ibi extemplo* Wsb. Mvg. Wfl. *hannibali extemplo* P. *Hannibal: ii extemplo* (C) Als. *Hannibal. Extemplo* (M) 1. 3. Mog. Ald. Grut. Gron. Drak. Dilapsum semel verbum interiit.

Ib. *novusque terror additus* Wfl. *quoque novus terror additus* PCM Als. *additus quoque novus terror* Laur. Valla («ego tantum locum muto») 1. 3. Mog. Ald. Grut. Drak. *eoque novus terror additus* Wsb. Hz. Mvg ed. 3. *additusque novus terror* Gron. («malim») Bkr. *novusque additus terror* Mvg ed. 1.

Etsi aliquamdiu adversus elephantos immota manserat peditum Romanorum acies, tamen iam ibi terrorem fecere; postquam vero adversus Gallos auxiliares agi bestias iussit Hannibal, illic extemplo haud dubiam fecere fugam; quo novus terror additus est Romanis, qui fusa mox auxilia sua viderunt. Qua sunt proclivitate librarii ad que encliticum inserendum, item hic, quod mea opinione fuit, *quo* in *quoque* auctum est; quamobrem in priore ed. *quo novus terror* cet. scribere ausus eram. Ubi est 6, 2, 3 «Novus quoque terror accesserat», id ita dicitur, ut afferatur aliquid, quod a prioribus seiunctum sit nec ante allatum. Itaque, quod praebent nostri cdd., *quoque* absonum est, ac sic corrigendum, ut et sensui conveniens est et solitae vitiositati librorum. Quod volunt *eo*, id in *quo* non mutabatur; nec, si *novusque* fuisset, hoc in *quoque novus* mutatum esset.

56, 2 *alia* Ald. min. in erratis, Ald. mai. Frob. Gron. Crev. Bkr. Fab. *alii* PC 1. 3. Asc. Ald. min. Drak. *alio* Mog. *alias* Grut.

alibi Wsb. Wfl. 44, 43, 3 Equites alii alia in civitates suas dilapsi sunt. Cf. 43, 19, 3 et transitus ea est in Labeates. 38, 30, 7 ut aliqua liberum ad mare haberent aditum. 4, 39, 2. 5, 43, 2. 9, 2, 5. — Ib. *qua* Asc. Gron. Mvg. *quae* cdd. l. 3. Mog. Ald. Grut. Gron. Crev. Drak. Fab. Wsb. Wfl. Non tota Afrorum acies Gallicis auxiliis firmata erat, sed ea pars eius, qua decem illa milia Romanorum perruperunt. Pol. 3, 74, 4 et 72, 8.

56, 8 *sauciorum ex magna parte* e coniectua Heerwageni edd. recentiss. *ex magna parte* cdd. edd. Et Polybius (3, 74) et Livius narrant, decem milia Romanorum perrupta hostium acie conferto agmine Placentiam pervenisse, eorumque vestigia secutos ex reliquo exercitu et pedites et imprimis equites, qui per agros sparsi non intercepti essent ab hostibus, eodem in loca tuta se recepisse. (Fuisse enim in inferiore parte Trebiae pontem verisimile est). Tum vero solus haec addit Livius, alios, qui metu coacti flumen ingressi essent, in castra pervenisse, deinde nocte insequenti praesidium castrorum et quod reliquum (iam intercidit aliquid) ex magna parte militum esset ratibus Trebiam traiecisse, quietisque, ut qui nihil sentirent, Poenis tacito agmine ab Scipione consule exercitum Placentiam esse perductum atque inde Pado traiectum, ut Cremonae hibernaret, alterum autem exercitum consularem Placentiae mansisse.

Sic etiam ante adventum Sempronii nocte quadam caede in prioribus castris Romanis ab auxiliaribus Gallis facta c. 48 narraverat Livius Scipionem consulem nocte insequenti tacito agmine profectum ad Trebiam fluvium in loca altiora collesque impeditiores equiti castra movisse ac Trebiam transgressum locum, qui prope flumen tutissimus stativis esset visus, delectum communiisse; nec procul inde Poenos consedisse, quibus ad Trebiam sedentibus horreum esset Clastidium proditione captum. Itaque prope hunc fluvium Hannibal ad occidentem versus castra habebat, Scipio ad orientem Sempronium ab Arimino exspectans.

Ab ea igitur parte Trebiae fluvii, qua ad occidentem vergit, grave illud proelium factum est; post id vero praesidium castrorum cum reliqua parte exercitus, quae cum Scipione in castris Romanis fuerat, ut Placentiam perduceretur, Trebiam traiecisse non recte dicitur. Nec videntur in castra ad Scipionem saucii ex recenti proelio pervenire potuisse, nisi credas eos praeter ceteros ad flumen ingrediendum audaces fuisse. Qui vero in proelio ultra Ticinum facto vulnerati nondum convaluerant, tum hi tum alii ad arma inutiles invalidi potius quam saucii erant appellandi. Saucii enim dicuntur, quorum vulnus est recens, ut 21, 57, 8 saucius Hannibal pugna ex-

cessit, Caes. b. G. 5, 36 Ille cum Cotta saucio communicat, si videatur, pugna ut excedant, Sall. Cat. 60, 4 Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere cet. Cum igitur necesse sit verba illa «ex magna parte» adiectivum aliquod habere, quo referantur, «*quod reliquum* *invalidorum* *ex magna parte militum erat* scribendum censeo. Cf. 23, 16, 8 calones lixasque et invalidos milites vallum ferre iussit.

At dixerit quispiam, ex naratione Livii c. 47, 3 patere Scipionem iam ante, quam post reditum a Ticino primum castra posuerit, Placentiam pervenisse, atque ita, ubi castra moturus Trebiam transierit, in sinistra ripa, sive in vicinia fluminis, qua vergit ad occidentem, consedisse, pugnamque a parte orientis commissam. Hoc posito et concesso tota rei descriptio pervertetur. Tam restricte dicta illa «Placentiam pervenere» et «Placentiam ad hostes contendunt» accipere vetat consuetudo Livii, Polybii verba vetant, vetat loci natura. Sic enim interdum Livius urbium nominibus utitur, ut agri regionesque significentur. 1, 59, 12 Ardeam in castra est profectus, 23, 36, 4 Hamis vacua ab hostibus castra invenit, 22, 1, 10 Antii metentes, 24, 10, 11 Romae in ipsa urbe, 27, 4, 12 Anagniae terram ante portam fulmine ictam. A Polybio autem (3, 66, 9) Scipio dicitur *περαιωθεὶς τὸν Πάδον καὶ στρατοπεδεύσας περὶ πόλιν Πλακεντίαν ἅμα δὲ τὰς δυνάμεις εἰς ἀσφαλὲς ἀπηρεῖσθαι νομίζων*. Non usque ad Trebiam primo adventu processisse Scipionem ex eo apparet, quod castra deinde movens dicitur «ad Trebiam fluvium profectus» (c. 48, 4), quod pari modo a Polybio (67, 9) narratur: *ἀναζεύξας ἐποιεῖτο τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τον Τρεβίαν ποταμὸν*. Nec a Clastidio vico, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani, longius, quam opus erat, recedebat.

57, 1 *quo a portis* e coniectura Heerwageni Mvg ed. 1. Wsb. ed. 6. *qua portis* PM 1. 3. Ald. min. *quo portis* (C) Asc. Mog. Ald. mai. Sob. Frob. Grut. Gron. Drak. Mvg ed. 3. Wsb. ed. 1. Raro (5, 18, 12. 26, 5, 10) Livius verbum arcendi sensu locali cum praepositione iungit, vulgo cum solo ablativo, nec aperte hic cdd. praepositionem iubent.

57, 2 *alterum ex Sicilia revocatum*, coniectura Madvigii, quam probarunt Wsb. et Wfl. *altero ex Sicilia revocato* cdd. edd. «Uno consule ad Ticinum victo alterum ex Sicilia revocatum» non verum est; nam non victo demum ad Ticinum Publio Scipione Tiberius Sempronius revocatus est, sed iam ubi post reditum ab Rhodano Scipionis, ut descendenti ab Alpibus Hannibali occurreret, de iti-

nere per Alpes instituto Romae nuntiatum est, litterae ab senatu de transitu in Italiam Hannibalis ad Sempronium missae sunt, ut primo quoque tempore collegae ferret auxilium (c. 51, 5). Itaque Scipio ad Trebiam Sempronium diu opperiebatur, cuius legiones quadraginta continuos dies iter fecerunt, ut Ariminum pervenirent (Pol. 3, 68). Querebantur Romani, damna damnis continuari, plagam acceptam etiam graviorem secutam esse, res in peius atque ad interitum ruere: ad Ticinum Scipionem victum esse, arcessitoque iam altero consule ad eam sedem belli, postquam uterque victus esset, quem alium ducem esse, qui arcessatur? quas alias legiones arcessendas restare? Sequentes ablativi, *duobus consulibus* cet.. praecedentibus *ἀσυνδέτως* positis communiter definiuntur: cf. Caes. b. G. 2, 11 exaudito clamore perturbatis ordinibus, 2, 26 proelio nuntiato cursu incitato, 3, 1 castellis expugnatis missis legatis. Non coordinantur, quasi tres sint calamitates. Neque igitur supervacuum est superius illud *uno* — *victo* neque ad id solum, quod sequitur, *altero* — *revocato*, trahendum, sed cum sequentibus una iungenda sunt. Hoc dicitur: priore clade accepta spem superfuisse, altera eaque duplici non item. Videtur Livio hic locus Polybii de spe pristina obversatus esse (c. 68, 9 sq.): *Οἱ δ' ἐν τῇ Ῥώμῃ, προσπεπτωκότων τῶν κατὰ τὴν ἱππομαχίαν, ἐξενίζοντο μὲν τῷ τὸ συμβεβηκὸς εἶναι παρὰ τὴν προσδοκίαν· οὐ μὴν ἠπόρουν γε σκήψεων, πρὸς τὸ μὴ δοκεῖν αὐτοῖς ἧτταν εἶναι τὸ γεγονός κ. τ. λ.* Iam vero longe alius erat status reipublicae omniumque rerum desperatio.

57, 4 *Id quod*, cum ad parenthesin pertineat, non recte enuntiatum incipere iam diu intelligitur. Arbitratu suo Madvig nuper *Is, quod* scripsit. At male cohaerent ista: «Ita territis Semproius consul advenit, ingenti periculo — transgressus. Is — in hiberna rediit». Consultius faciunt, qui monitu Friderici Haasii ad scholia Reisigii § 206 n. 364 post *advenit* punctum ponunt, incisum autem ante *id quod*, ita ut additis illis «Ingenti periculo — transgressus» reditus Sempronii describatur, et *transgressus* idem sit quod postquam hostes pervasit.

57, 5 *et ut quaeque iis* apud Wsb. legens neque ex P neque ex C ullam diversitatem scripturae adnotavi. *eq. his* 1. *et quae his* 3. Mog. Ald. Frob. Grut. *et qua his* Gron. Drak.

57, 6 *eius castelli oppugnandi spe* inde ab antiquissimis edd. secundum codices scriptum fuerat, cum Iac. Perizonius (qui mortuus est an. 1715) haec notavit: «Facile quid oppugnatur, sed expugnatio speratur. Itaque leges *expugnandi*, si quid ratio in his valet, aut exemplum, quo lib. 40, 31 ibidem restituit *ὁ πάνυ* Gronovius,

Haud dubia spe castra eo die se expugnaturum, et eodem lib. cap. 33. 47. et 50». Retinuerunt codicum scripturam sequentes editores, sed iidem sententiam Perizonii cum assensu retulerunt, addiditque haec Crevier: »Legendum omnino est *expugnandi*. Oppugnare voluntatis est; at expugnatio speratur.» Alschefski denique in contextum recepit *expugnandi*, eamque esse scripturam Puteanei definite declaravit, etsi in reliquis omnibus esset *oppugnandi*. Ego vero et in Put. et in Colb. vidi *oppugnandi*. Qua de re priore ed. mea certiores facti Wsb. et Mvg statim ad hanc antiquam lectionem in novis edd. redierunt. Haec autem Alschefskium corrigens addideram: Duo castella sive oppida munita simili modo aggressus est Hannibal, quare idem utroque loco verbum adhiberi par est. Legitur § 9. ad Victumulas *oppugnandas* ire pergit; de altero autem oppido § 6 haec habent omnes edd. recentiores: Eius castelli e x p u g n a n d i spe (oppugnandi cdd.) cum equitibus.. profectus Hannibal cet. Spem autem habebat eius castelli sine ulla obsidione statim vi capiendi. Primum id probans Weissenborn, ut § 9 *oppugnandas*, sic hoc loco *oppugnandi* legendum esse censet; nam «da die Absicht Hannibals in Bezug auf beide Orte dieselbe war: ohne Belagerung im Sturm sie zu nehmen, so kann an u. St. nicht wol *expugnandi* gelesen werden».

Quia saepius de his verbis disceptatur, quo modo inter se differant, videamus. Oppugnatio est urbes aggrediendi modus; expugnatio autem finis ille, qui aggrediendo spectatur, sive in locis munitis capiendis quasi actus ultimus (26, 1, 2 ne a Capua, quam obsidebant, abscederent, priusquam expugnassent). Celeris occupatio intenditur ac speratur, sed successu parum prospero iterato impetu opus est aut abit res in obsidionem magnis adhibitis operibus (22, 20, 7. 25, 39, 11. Caes. b. c. 2, 1. Cic. Fam. 2, 10, 3. 15, 4, 10). Cf. 2, 11, 1 Porsinna primo conatu repulsus consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendam versis praesidio in Ianiculo locato ipse in plano ripisque Tiberis castra posuit. 27, 39, 11 (Hasdrubal Placentiam) obsidet magis quam oppugnat. 21, 8, 1 Obsidio magis quam oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur. Nonnumquam praeparatur magis quam perficitur obsidio. Nam etiam ad oppugnandum, si non operibus, at machinis opus est (29, 7, 9. 25, 11, 10), licet interdum castella munita inproviso adventu capiantur. 5, 2, 1 Cum spes maior imperatoribus Romanis in obsidione quam in oppugnatione esset, hibernacula aedificari coepta. Felicius nimirum ubi spes est in oppugnatione sola, ut Hannibali spes erat *eius castelli oppugnandi*, quod prope Placentiam situm erat, cum plurimum in celando

incepto ad effectum spei haberet. Obsidere urbes non valens ille tum demum loca munita adoriebatur, cum oppugnandi, sive subita vi ea invadendi, spes esset. Usque eo non solum, ut dicunt Perizonius et Crevier, expugnatio speratur, verum etiam oppugnatio, ubi spes est, fore ut bene eveniat oppugnatio, idque sine obsidione, h. e. non adhibitis omnibus operum machinationumque generibus.

Iam alia eiusdem verborum permutationis ab editoribus commissae exempla afferenda sunt. 25, 39, 11 ante ed. Asc. 1513 scribebatur: Ita nocte ac die bina castra hostium oppugnata ductu L. Marcii. Sic legi in P; idem in aliis novem esse testatur Drak. Fuit igitur haec oppugnatio iterato impetu continuata. Nihilo minus etiamnunc omnes retinent »expugnata». Drak. solus (nam tacent reliqui) id pro ratione affert, quod sit »sollemnis scribarum error». Immo vero eum errorem esse prius demonstrare oportebat. Hoc praemonendum est, cum de urbibus, castris, castellis capiendis mentio fiat, id saepe ita fieri, ut dicatur oppugnare, audiatur simul expugnare. Nam cum multis locis (22, 9, 1. 10, 1, 7. 9, 36, 1. aliis) legatur »urbem oppugnare adortus est» vel simile, non tantum urbis aggrediendae, sed etiam vi expugnandae conatus intelligitur. Est enim oppugnare actus princeps in urbibus capiendis, nec solum initium rei, sed saepe etiam eventum simul exprimit. 25, 6, 22 Vis tu mari, vis terra, vis acie, vis urbibus oppugnandis experiri virtutem? Hic oppugnare evidenter vim habet expugnandi. 9, 41, 16 Etruscos se urbem Romanam oppugnaturos minatos esse, 22, 55, 2 non dubitavisse praetores deletis (ad Cannas) exercitibus hostem ad oppugnandam Romam, quod unum opus belli restaret, venturum. Non tam de oppugnanda quam de expugnanda Roma his locis agitur. 22, 52, 1 Spoliis ad multum diei lectis Hannibal ad minora ducit castra oppugnanda, i. e. vi capienda. 24, 33, 8 Si bello lacesserent (Romani), ipsa re intellecturos nequaquam idem esse Syracusas ac Leontinos oppugnare. Leontinos autem Romani expugnaverant, quem eventum in Syracusas incursum non habiturum. Haud aliter eo loco, de quo quaestio est (25, 39, 11) oppugnata castra hostium ita dicuntur, ut idem fere sit atque expugnata.

Progredimur ad quattuor illa libri quadragesimi exempla, quae refert Perizonius, examinanda. Quorum primum est 40, 31, 6 (Celtiberorum) acies aderat, haud dubia spe castra eo die se *oppugnaturos* cdd. edd. ante Madvigium et Weissenbornium, qui auctore Gronovio *expugnaturos* praetulerunt. Cum equites Romanorum, quamvis et plures, quam soliti erant, conspecti essent, et propius accessissent, ubi primum exiit hostium equitatus, tunc quoque averterent

equos et castra repeterent, adeo crevit persequentibus animus, ut certa iis spes esset, equitibus in fugam coniectis, castra eo die se oppugnaturos. Antea minus audaces in campo pugnandi copiam fecerant. Itaque repudianda est emendatio illa Gronoviana. — Alterum est 40, 33, 9 Flaccus per Celtiberiam populabundus ducit legiones multa castella *oppugnando,* donec maxima pars Celtiberorum in deditionem venit. Sic Weissenborn, qui hoc adnotavit: »Auch hier erwartet man *expugnando*«, Gron. autem »Lege *expugnavit*«, Madvig denique: »Fort. scribendum *expugnans*«, in ed. autem dat *oppugnans.* Si, ut referunt, cod. Mogunt. habuit *oppugnandonec,* verisimillima est scriptura, quam praebet Wsb. (plerique tamen *oppugnavit, donec).* Quam oppugnationem multorum castellorum secuta est deditio maximae partis Celtiberorum, eam certe prosperam fuisse satis per se patet, quare ibi quoque in oppugnando inest vis expugnandi. Ac gerundii usus modalis apud Livium frequens est: 2, 32, 4 sumendo, 5, 43, 7 indignando mirandoque, cett. — Tertium est 40, 47, 2 (Sempronius) Mundam urbem primo vi cepit, nocte ex improviso adgressus . . praesidio imposito castella oppugnare, agros urere, donec ad praevalidam urbem pervenit. Apparet castella oppugnare hic idem valere atque expugnare, quod scriptum voluerant Gron. et Crev. Nemo vero iis obsecutus est. Minus abstinentes fuerunt editores recentissimi, ubi quartum eadem licentia usus est Gronovius, 40, 50, 6 ad triginta et quinque milia hostium occidisse et castra *oppugnasse* (L. Postumium in Hispania). Quam scripturam ex cod. servaverant priores.

Ut oppugnare saepe etiam expugnandi actum continet, sic e contrario in periocha ex lib. 48 haec in cdd. leguntur de Scipione Africano: in expugnatione Intercatiae urbis maius etiamnum periculum adiit; nam murum primus transcendit. Est igitur expugnatio ea pugna (oppugnatio), qua Intercatia expugnata est, nec ob eam causam, ut nonnulli fecerunt, scribendum prorsus oppugnatione.

Ceterum cf. quae in Epilegomenis ad T. Livii librum primum pag. 77 monui ad dictum illud 1, 46, 2 spem adfectandi regni.

57, 9 *Victumulas* Mommsen, Hz, Wsb. ed. 6. Wfl. *Victumvias (victumuias)* PC Grut. Gron. Mvg. *Vicunvias* 1. 3. Mog. Ald. Frob. (mutatum UL in UI). Mentio fit illius vici Plin. n. h. 33, 4, 78 Exstat lex censoria Victumularum aurifodinae in Vercellensi agro, Strab. 5, 1 extr. *καὶ ἐν Οὐερκέλλοις χρυσωρυχεῖον ἦν· κώμη δ' ἐστὶ πλησίον Ἰκτουμούλων, καὶ ταύτης κώμης, ἄμφω δ' εἰσὶ περὶ Πλακεντίαν.* 21, 45, 3 iam Stroth *Victumulis* restituit, ubi ante Gruterum ex cdd. *Vico tumulis* legebatur, deinde vero *Victumviis.*

58, 1 *longi inde temporis* Gron. suspicatus est. *longis inde temporibus* PC 1. 3. Ald. Mog. Frob. Grut. »quod durissime dictum et vix Livianum videtur», Doering.

58, 9 *attollere* 1. 3. Mog. Ald. Frob. Grut. Gron. Drak. Bkr. Tauch. Mvg ed. 3. *atollere* C. *extollere* P Als. Wsb. Wfl. Mvg. ed. 1. Attollere de adsurgendi conatu, velut quod est 4, 19, 5 Adsurgentem umbone resupinat repetitumque saepius cuspide ad terram adfixit, idem 8, 7, 11 attollentem se ab gravi casu terrae adfixit. Contra, quod est 22, 59, 10 nec premendo alium me extulisse velim, idem 22, 12, 12 premendo superiorem sese extollebat.

59, 4 *exspectare* Fleckeisen, Mvg, Wfl. *spectare* cdd. edd. Wsb. ed. 1. Non spectabatur signum nondum propositum. Tubicines autem signa canebant.

59, 7 *magis ulla* PC 1. 2. Als. Wsb. Hz. *ulla magis* 3. Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. *magis dubia* auctore Gronovio Bkr. (nempe: magis dubia et cum utriusque cet.). *magis ulla* »vitiosum habere videtur verborum ordinem (pro *ulla magis*)», Madvig. At admovetur adverbio ante posito vocis sonus, recedit *ulla*, quemadmodum 8, 6, 14 »si quando umquam severo ullum imperio bellum administratum esset» s e v e r o certo sono enuntiatur, u l l u m non item. Cf. 25, 21, 1 nec res magis ulla tenuit quam spes cet.

Ib. *saeva aut utriusque* Hz, Wsb. ed. 6. '*ae*| *aut utriusque* P. *ea aut utriusque* C. *ea, et cum utriusque* 1. 2. *saeva, et cum utriusque* auctore Valla 3. Ald. Mog. Frob. Drak. Tauchn. *ea et utriusque* Als. *saeva et utriusque* Wsb. ed. 1. *aequa et utriusque* Wfl. * * *aut utriusque* Mvg. »Videtur Livius scripsisse: pugna raro magis saeva (aut si quod aliud adiectivum ponitur) et aut a l t e r i u s a u t utriusque partis cet. De *saeva*, quod aliorum est inventum, dubito», Mvg.

Ob sensum verborum negativum *aut*, quod est in cdd., (non *et*) retinendum, cf. 21, 1, 2 neque his ipsis tantum umquam virium a u t roboris fuit. In P exeunte versu exstat 'AE, quod forsitan fuerit SAE, atque ad initium sequentis facile ante AU interiit UA. Non magis cum usu sermonis discordat *saeva*, quod nonnulli de pugna dici negant. Sed conveniunt inter se *αἰνός* ex *αἴ* oriundum et *saevus* ex *vae* (Doederl. Syn. I. p. 37) ut derivatione sic usu. Est apud Homerum, ut exempla afferam, *φύλοπις, ἔρις αἰνή* (Il. 6, 1. 14, 389). Cf. Lucil. ap. Non. 4, 413 saevum et durum bellum, Sall. Cat. 51 belli saevitia, Virg. Aen. 12, 890 saeva arma, Liv. 39, 43, 4 facinus saevum atque atrox (a quo non multum differt pugna saeva atque atrox). Hic est sensus dicti illius: raro crudelius aut cum maiore

utriusque partis caede pugnatum esset, si continuari pugna potuisset: ingentibus animis concursum est, acrior caedes solis occasu impedita.

60, 4 *clementiae indulgentiaeque* scripsi. *clementiaeque* PCM. *clementiae* 1. 3. Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. *lenitatis clementiaeque* Als. *facilitatis clementiaeque* Wsb. ed. 1. Alii recentiores *gratia* vel *lenitatis* vel *iustitiae* supplendum esse opinantur. Quorum nihil ex vulgari omittendi more probabile fit, cuius in simili re supra ad c. 50, 8 aperta exempla protuli. Praetermissis igitur eo, qui adest, loco his partibus utriusque verbi: *entiae indulg*, reliqua coaluerunt, vel dicam, pro priore *entiae* posterius sumptum est. Tali festinatione saepe longiores omissiones inciderunt. Adversus populos Hispaniae a Romanis alienatos iam in numerum sociorum ascitos non inhumane aut severe se gessit Cn. Cornelius, sed clementer eos atque indulgenter habebat.

Ib. *parta est* e coniectura Ant. Perizonii Wsb. ed. 6. Mvg, Wfl. *parata est* PC 1. 3. Ald. Frob. Gron. Drak. Wsb. ed. 1. Hz. Non agitur de pace societateque armorum in futurum tempus praeparata, sed in praesens conciliata, quamobrem necessario *parta* scribendum. Saepe ex uno vel altero viliore codice eadem notata est permutatio, ut 1, 10, 7; 19, 3. 2, 26, 4; 31, 10. 3, 62, 2. 4, 5, 1. 5, 6, 1. 7, 18, 5. 34, 58, 5 et 6. 37, 19, 8; 50, 9; 53, 27. Ac nonnumquam in optimis libris is error deprehenditur: 2, 26, 4 spe undique paratae pacis, 5, 1, 1 pace alibi parata. Quibus quidem locis plerique editores iam recte partae et parta scribunt. Tenet tamen Wsb. 10, 10, 12 pecuniam ingentem sine labore ac periculo paratam retulerunt. Ad alium enim locum legentes remittit, 5, 6, 1, ubi et Wsb. et Mvg contra cdd. VMRDFP, qui *parta victoria frui* habent, *parata* legunt, quod in U solo vidi. Quo loco a Weissenbornio revocamur ad Curt. 5, 1, 4, ubi dicit Darius non dubitare se, quin Alexander celeberrimas urbes petiturus esset: praedam opimam paratamque ipsum et milites eius spectare. Est igitur praeda parata ea, quae etiamnunc spectatur, quae nondum parta est, sed facile parari poterit. Similiter ceteris locis apud Curtium (4, 53, 11. 4, 19, 14. 6, 42, 27) atque apud alios scriptores, velut Quinct. 2, 2, 10 Plin. N. H. 19, 4, 52, Virg. Aen. 2, 334, Plin Ep. 2, 10, 8. Sed ea significatione ob id dici non potest parata victoria frui, quod non fruimur victoria nisi quae iam parta est. Hoc in oratione Ap. Claudius dictum vult, dedecere militem Romanum frui quidem victoria iam parta, non patienter diuturnos ferre labores, ut novae victoriae pariantur. Frequenter Livius victoriam parere (2, 47, 9. 3, 62, 2. 7, 34, 13. 9, 9, 11. 10, 38, 1. 37, 50, 9), nusquam,

credo, parare victoriam. Sic etiam constanter parere pacem (pax parta sim. 1, 19, 3. 2, 26, 4; 31, 10. 3, 19, 1; 24, 11. 5, 1, 1. 10, 2, 2), gloriam, praedam, pecuniam, possessionem, libertatem, gratiam, amicitiam, occasionem, societatem, alia. Madvig denique, cur codices deserens *parata victoria frui* scripserit, in ed. 3. nullam rationem reddit, in ed. 1. suo more interclusione nomen profert *(Burmannus)*. Spectat hoc ad Petronii Satyricon cap. XV extr.

Nolo, quod cupio, statim tenere,
Nec victoria mi placet parata,

ubi hoc addit Burmannus: «Apud Livium lib. V. cap. 6. etiam legendum puto: *insuesce . . . parata victoria frui*». Nec tamen ibi adiectivum illud aliam vim habet quam locis modo allatis. In errorem inciderunt, qui (ut Crevier) 42, 11, 9 scripserunt: eam, quae . . multis magnisque meritis pararetur, auctoritatem.

61, 11 *Amusicus* CM Als. Wsb. Mvg. Wfl. *amusiciis* P (non C, ut mihi visum est). *Amusitus* 1. 3. Mog. Ald. Frob. Gron. Drak. Quae hodie circumfertur scriptio nominis, valde incerta est. «Fortasse verius erat aut *Amusicis*, ut Indebilis, aut *Amusicius*, quod in Hav. scriptum est, ut Mandonius», Alsch.

62, 3 *in foro boario* Wfl. Wsb. ed. 6. Mvg ed. 3. *foro boario* PCM 1. 3. Mog. Ald. cett. Wsb. ed. 1. Mvg ed. 1. Ponenda videtur praepositio in hoc enuntiatio ut in praecedente; tamen saepe abest, ut 22, 1, 12 signum Martis Appia via sudasse, 10, 36, 16 colonia, quae via Latina est, 4, 41, 8 iam consul via Labicana ad fanum Quietis erat, 2, 11, 7 Gabina via considere. Contraria exempla sunt 22, 36, 8 in via fornicata aliquot homines de caelo tacti, 10, 23, 3 sacellum, quod in foro boario est, 22, 57, 6 in foro boario sub terram vivi demissi sunt, 24, 10, 7 in foro boario sanguine pluvisse, cf. Val. Max. 1, 6, 5 infantem semestrem in foro boario triumphum proclamasse.

62, 4 *pulvinari* coniecit Madvig, Wfl. *pulvinario* PCM 1. 3. Mog. Ald. cett. Si comparantur apiarium, columbarium, vel frigidarium, solarium, vel granarium, sacrarium, alia, pulvinarium proprie locus est, in quo pulvinaria deorum sternebantur, atque omnino locus esse videtur, ubi pulvini erant, adeoque commodus ad sedem tranquillusque ad quietem locus. Itaque etiam apud Plautum Cas. 3, 2, 27 Alcesimus innuens, se frustra velificatum esse amoribus Stalinonis, per allegoriam *Ibo intro*, inquit, *ut subducam navim rursum in pulvinarium*, «je m' en vais entrer pour remettre mon vaisseau à l'abri», Gueudeville. Du Cange ut mediae aetatis vocem

pulvinarium vel sacrarium vel pavimentum interpretatur. Vix ulla arte id vocabulum ex contextu Livii extorqueri poterit.

62, 7 *Iam primum omnium* PC 1. 3. Mog. Ald. sqq. *Nam primum omnium* coniecit Madvig. Interdum in narratione sola particula *iam* nova aliqua res, praesertim si maioris momenti est, emphasi quadam additur, ut 3, 34, 8. 9, 19, 9. 23, 5, 15. 24, 10, 10. 29, 3, 14. 38, 17, 9. Ubi vero cum vi ad rem, quae significata est, demonstrandum vel ad singulas partes rei indicatae exponendas transitus fit, *iam primum* usurpatur: 9, 5, 12; 17, 5. 35, 18, 4. 39, 52, 8. 40, 3, 3. Plenius autem eadem vi *iam primum omnium* dicitur vel *iam omnium primum*. Quo ipso modo Livius transit ad res Romanas singulas enarrandas, postquam totam rem considerans praefatus est. Alia exempla sunt 5, 51, 6. 22, 37, 5. 28, 39, 5 et hic ipse locus, in quo versamur. Librarii vero, qui *iam* illud minus intellexerunt, in *nam* interdum verterunt, velut 9, 17, 5 «Nam primum ut ordiar ab ducibus comparandis» cet., 39, 52, 8 «Nam primum omnes» cdd. Voss. et Lov. 6., quos sequitur Madvig, sequi non debebat, quia codices Loveliani et Vossiani isto errore praeter ceteros notabiles sunt (vid. Drak. ad 34, 4, 4; 31, 15. 9, 17, 5. 2, 29, 11). Idem hoc, qui nobis adest, loco ob eam causam *Nam* substituit, quod non transeatur ad novam rem. Sed etiam reliquis locis supra allatis, quos his vocibus, «iam primum», «iam omnium primum», incipit, explicantur solum, quae breviter significata erant, non ad novas res transitur. Aliter se habet, ut modo dixi, *iam* illud solum.

62, 9 *Iuventati* PCM Gron. Drak. Wsb. Wfl. *iuventuti* 1. 3. Ald. min. Mvg. *Iuventae* Mog. Ald. mai. Frob. Grut. Opponuntur, quae nominatim imperata erant, lectisternium Iuventati et supplicatio ad aedem Herculis, indictae universo populo circa omnia pulvinaria supplicationi. Non poterant nimirum lectisternium Iuventati et supplicatio ad aedem Herculis indicta a tota turba celebrari. Non vere recteque dicitur lectisternium iuventuti indictum fuisse.

63, 3 *adversus senatum* cdd. edd. *adverso senatu* e coniectura Gronovii Mvg. Legem Q. Claudius tribunus plebis adversus senatum tulisse sic dicitur, ut 6, 35, 4 tribuni C. Licinius et L. Sextius promulgavere leges omnes adversus opes patriciorum et pro commodis plebis, 21, 10, 2 Hanno unus adversus senatum causam foederis egit, alia.

Epilegomena ad T. Livii librum vicesimum primum.

Scripturae compendia.

Ald. sive Ald. min. = editio Aldina minor (in 8:o) Venetiis 1519.
Ald. mai. = ed. Aldina maior (in fol.) Venetiis 1521.
Als. vel Alsch. = Alschefski, Berolini 1846.
Asc. = ed. Ascensiana, Parisiis 1510. fol.
Bip. = ed. Bipontina 1784, studiis societatis Bipont.
Bkr = Livii libri recogn. Imman. Bekkerus Berol. 1829
Cler. = Clerici editio Amstelodami 1710.
Crev. = ed. Crevierii, Parisiis 1747.
Cur. = Curionis ed. Basiliensis 1549. fol.
Drak. = Drakenborch Amstelodami 1740. 4:o.
Dui. = ed. Duiatii s. Doujatii Parisiis 1679. 4:o.
Ern. = ed. Ernestiana, Lipsiae 1769.
Fab. = Fabri. Ed. 2. Nürnberg 1837.
Francof. = edd. Francofurtenses Feyerabendinae 1578, 1588.
Frob. = ed. Basiliensis Frobeniana 1535, ed. Rhenani.
Giov. = Giovenazzi, ed. Romae 1836.
Gron. = Iohannes Fredericus Gronovius.
Grut. = Ianus Gruterus, Francof. 1628. Fol.
Gryn. = ed. Basiliensis Frobeniana administrante Sim. Grynaeo 1531. (ubi differt ab ed. Rhenani).
Gryph. = Seb. Gryphius Lugduni 1548. Fol.
Herv. = ed. Basiliensis 1543 per Jo. Hervagium. Fol.
Hrw. = Heerwagen in ed. altera Fabriana.
Hts vel Hz = Martinus Hertz ed. Lips. 1860.
Iun. = ed. Iuntina, per heredes Philippi Iuntae Florentiae 1522.
Manh. = ed. Manhemiensis cura societatis literatae 1779.
Mod. = ed. Modii Francof. 1588.
Mog. = ed. Moguntina Nic. Carbachii 1518.
Mvg. = Madvig. Mvg. ed. 1. Hauniae 1862. Mvg ed. 3. ibm 1880.
Rhen. = Rhenani Frobeniana 1535 (ubi differt ab ed. Grynaei).
Rudd. = Ruddimannus Edinburgi 1751.
Rup. = Ruperti, Gottingae 1807.
Sig. = Car. Sigonius, ed. Venetiis 1555, scholia ed. Godelevæus Francof. 1568. Fol.
Sob. = Iacobus Sobius Coloniae 1525. Fol.
Str. = Stroth, rec. Doering Gothae 1822.
Tauchn. = ed. Tauchnitii stereotypa, Lips. 1848.
Vasc. = ed. Vascosani Paris. 1552.
Wfl. = Eduard Woelfflin, Leipzig 1873.
Wsb. = Weissenborn. Wsb. ed. 1. Teubn. 1853. ed. 1. Weidm. 1855. ed. 6. 1877.

Raro codices Drakenborchii attuli et quidem ea, qua ipse usus est, scriptura compendiaria. Ei quoque cod. M notus fuit, quem *Flor.* signat, sed manum emendatricem interdum pro primitiva exhibuit; id quod apud antiquos saepius usu venit. Eius etiam sunt nonnulla indicia ex edd. saec. XV., quae tamen iis solis numeris notavi, qui sunt in ea tabula, quam in Collatione cod. Liv. p. 12—16 protuli. Duas tamen antiquissimas, 1. et 3., quarum exemplaria sunt in bibliotheca Academiae nostrae, continuo ad manum habui. Desunt

quidem plagulae in hoc exemplo editionis 3., ita ut indiciis loci et anni destitutum sit; sed in externis bibliothecis comparatione instituta eandem editionem esse inveni, quam Vindelinus Venetiis an. 1470 typis descripsit. Habet emendationes Laur. Vallae. Hanc conferendam praeter ceteras elegisse se commemorat doctus ille vir, qui an. 1848 Tauchnitii novam ed. stereotypam curavit, qui nondum comperisse videtur ante duos annos nova subsidia eaque certiora comparavisse Alschefskium.

Proxima aetate in bibl. Upsal. in promptu mihi fuit ed. illa, quae «diligentiore cura in aedibus Ascensianis in illustri Parrhisiorum Academia» an. 1510 exscripta est, annotationibus instructa a Iodoco Badio Ascensio, qui Georgio Aloino scribit: «ad hanc tuae celsitudini dicandam invitor, quod lectitanti mihi Livianas conciones totus atque adeo unus occurristi».

Contigit mihi, ut acquirerem ed. Moguntinam subscriptam mense Novembri an. 1518. Demandaverat Ioannes Scheffer Nicolao Carbachio et Wolfgango Augusto eam curam, ut codicem aedis Moguntinae metropolitanae vetustissimum characteribus Longobardicis in membranis scriptum conferrent; quem legebant hi et relegebant, ac teste Erasmo Roterodamo innumeris locis orationem Livii ex codice castigabant. Narrat idem in praefatione, Carbachium «quinquennium T. Livium publico salario summa cum laude professum esse». Data igitur est Moguntina mense Novembri 1518; sed annotata ex vetusto codice adiecit Carbach idib. Martiis 1519.

Venetiis in aedibus Aldi et Andreae soceri m. Febr. 1519 libros Livii XXI—XXX enchiridii forma foras dedit Franciscus Asulanus «ita accurate castigatos, ut tantis in tenebris tantaque perplexitate veterum exemplarium fieri potuit». Haec autem habet Asulanus in dedicatione decadis quartae mense Novembri 1520: «Quam plurima optima et antiqua et manu scripta exemplaria ex reconditis librorum latebris collegi, quibus ex omnibus hoc tandem unum et lucidum et ab omni parte integrum conflavi».

Editionem Coloniensem an. 1525 dedicat Iacobus Sobius «repurgatiorem quam ante hoc tempus unquam praeli formulis excusum vidimus». Sequitur an. 1531 prima ed. Basiliensis ex officina Frobeniana «aliquanto quam antea tum magnificentius tum emaculatius»; aucta est quintae decadis libris quinque «quos bono quodam genio in bibl. monasterii Lorsensis (e regione Wormatiae a Carolo Magno librorum supellectile instructi) repperit Simon Grynaeus provehendis liberalibus studiis natus». Iterum Basileae in off. Frob. 1535 «decades tres cum dimidia, longe tamen quam nuper emaculatiores» curaverunt Beatus Rhenanus et Sigismundus Gelenius nunc demum ad vetera exemplaria collatione instituta. «Rhenanus diligenti habita per collegia simul et coenobia conquisitione geminum exemplar omnium qui extant Livii librorum, excepta dimidia decade tertia (lib. XXI—XXV), sibi comparavit, eo consilio, ut praelucente antiqua lectione facilius mendarum tenebras discuteret».

Novem omnino sunt edd. Basilienses, quas sequitur Aldina 1555 Sigonii scholia exhibens; tum Francofurtenses et Elzevirianae. In illorum numero sunt edd. Modii et Gruteri, in horum utriusque Gronovii. Excepit has aetas Creverio-Drakenborchiana.

I **Upsala Universitets Årsskrift** har förut utkommit:

Alexandersson, A., Septem Aeschyleam Suethicis Versibus expressit et commentario illustravit. *2: 15.*

——, Öfversigt af Prometheusmythen, dess Utveckling och Betydelse inom den Äldre Grekiska Litteraturen. *60 öre.*

——, Den Grekiska Metrikens senaste Utvecklingsperiod. *50 öre.*

Almkvist, H., Ibn Batûtahs Resa genom Magrib. *2 kr.*

——, Den Semitiska Språkstammens Pronomen. *2: 25.*

——, Om det sanskritiska ahám. *50 öre.*

Brolén, C. A., De Elocutione A. Cornelii Celsi. *70 öre.*

——, De Philosophia L. Annæi Senecæ. *1: 75.*

Centervall, J., Spartiani Vita Hadriani commentario illustrata. I. *1: 25.*

Fahlcrantz, C. A., Bacchæ, Fabula Stagneliana. *50 öre.*

Frigell, A., Collatio Codicum Livianorum atque Editionum Antiquissimarum. Pars I, Libros I-III continens. *2 kr.*

——, Epilegomena ad T. Livii librum primum. *1: 50.*

Häggström, F. W., Excerpta Liviana. *1: 25.*

Johansson, J., De Choëphoris Aeschyli et Electris Sophoclis atque Euripidis inter se comparatis dissertatio. *2: 25.*

Knös, O. V., De Digammo Homerico quæstiones. I—III. *5: 75.*

Lagergren, J. P., De Vita et Elocutione C. Plinii Cæcilii Secundi. *2: 50.*

Ljungdahl, S., De Transeundi Generibus quibus utitur Isocrates commentatio. *1 kr.*

Nordling, J. T., Granskning af prof. C. J. Tornbergs Korânöfversättning. *1 kr.*

Röding, R., De Græcorum Trimetris Iambicis cæsura penthemimeri et hepthemimeri carentibus commentatio. *75 öre.*

——, Fabulas Euripideas, quæ insunt in Codice Parisino 2712. *25 öre.*

Sandström, C. E., De L. Annæi Senecæ Tragoediis commentatio. *1: 50.*

——, Studia Critica in Papinium Statium. *1: 25.*

——, Emendationes in Propertium, Lucanum, Valerium Flaccum. *75 öre.*

Seligmann, J., Procemium et specimen lexici synonymici arabici Attaʿâlibi edidit, vertit, notis instruxit. *80 öre.*

Walberg, C. A., De confusione Pronominum tertiæ personæ Græcorum. *30 öre.*

Östling, N., De Elocutione C. Sallustii Crispi commentatio. *1 kr.*

Pris: 1 krona.